This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 747 232

SCHULTEN

DE CONVENTIBUS CIVIUM ROMANORUM

1892

HARVARD
LAW
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
CONVENTIBUS CIVIUM ROMANORUM.

(703)

SIVE DE REBUS PUBLICIS C. R. MEDIIS INTER MUNICIPIUM ET COLLEGIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE GOTTINGENSI
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

ADOLFUS SCHULTEN,
ELBERFELDENSIS.

LIPSIAE,
TYPIS I. B. HIRSCHFELDI.
MDCCCLXXXXII.

960

Digitized by Google

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff. — examen rigorosum absolvi die XII m. Martii. — permissu ordinis philosophorum dissertatio expressa est ex libro „de conventibus civium Romanorum“ ordini supra scripto ad inaugurandos summos in philosophia honores oblato probatoque. Liber ipse prodiit Berolini apud Weidmannos.

MAY 19 1921

Digitized by Google

Qui extra territorium municipii[1]) civium Romanorum considunt cives Romani constituunt pro municipio rem publicam quam „conventum civ. R." dici infra videbimus.

extra municipalem autem rem publicam sunt imprimis qui in provinciis negotiantur cives R., cum ante Caesarem praeter Narbonem Martium municipia in provinciis defuerint. in Italia, cuius ager publicus Augusti temporibus paene omnis adsignatus erat, rari conventus fieri poterant. fiebant autem non minus atque in provinciis si maior et municipio non adscriptus civium numerus alicubi degebat vel „consistebat" (nam hoc verbo dicuntur ii qui non cives sunt in eo territorio in quo degunt, seu quia illud solum ad nullam rem publicam pertinet seu quia non ad eam, cuius cives illi sunt). sic conventum habebant aratores agri Campani, qui ager re publica sublata anno 211 a. Chr. nulli rei publicae adscriptus erat. nec minus quibus viritim (id est colonia non constituta) ager adsignatus erat conventum constituebant.

altera accedit conventus constituendi haec condicio, ut non eiusdem negotii cives R. societatem ineant. nam conventus cum pro municipio sit αὐτάρκης, ut Aristoteles ait, esse debet (ad conventum consentaneo quadrant quae Aristoteles in politicis de condicionibus sine quibus πόλις esse nequeat enumerat. 1325^b, 35).

tertia condicio est, ut universitatem habeant cives R.

est igitur conventus C. R. universitas civium R. diversae negotiationis extra territorium municipale C. R. con-

1) „munic." dicam cum iuris consultis et colonias et municipia civ. Rom. (v. Dig. L 1, 1, 1)

sistens. — diversa sunt conventus genera: nam extra municipium quae consistit universitas C. R. consistit aut in civitate peregrini iuris[1]) aut in solo nulli rei publicae addicto quale est ubi vel nulla res publica est ut in media Africa vel ubi res publica, quam negat populus R. esse rem publicam. quales sunt gentes Hispanienses, Libyae. — conventus ipse licet idem sit in re publica peregrina et vicanus (sic dicam conventum non in civitate consistentem) tamen perspicuum est inter conventum et civitatem rationes intercedere, quae desint vicano conventui. contra vicanus id proprium habet quod re vera municipii instar est, cum conventus in civitate collegium potius sit incolarum. itaque distinguendae sunt istae classes. — nec conventus civitatis Gallicae eiusdem est rationis atque urbis Graecae Latinaeve, quae pro municipio habentur (inde ab Augusto legionarius non minus urbem Tralles quam Romam pro origine habere potest [Momms. de conscriptionis ratione, Herm. 22]). — cum autem oppidum Latinum paene eiusdem atque oppidum C. R. iuris sit, dubitatum est, an in oppido Latino conventus esse potuerit. sed fuerunt tales conventus (vide infra). ratione tamen haec dubitatio profertur, nam quo magis rei publicae civium R. similis est civitas, in qua incolunt cives R., eo minus causa erat conventus C. R. constituendi. quo fit, ut in civitate foederata et quae multis populi R. beneficiis augebatur, Athenas dico, conventus sit nec vola nec vestigium. — nec vicani conventus eadem ubique ratio. nam saepe conventus unam cum peregrinis accolis rem constituit. ex. gratia invenitur „conventus civium R. et Numidarum (v. infra).“ sed non minus certum est praevaluisse in his vicis cives R. et vulgo conventus vicum occupat ut qui in belli civilis annorum 49 seqq. historia partes agunt seu pro Caesare seu pro Pompeio occupant et defendunt oppida in quibus consistunt. — conventus ipse quod dixi idem est in civitate qui in vico, idem nomen, iidem magistratus nec ratio differt iuris, cum

1) civitatem peregrinam dico eam quae habet rem publicam quae ex interpretatione populi R. iusta et eiusdem quasi iuris ac populi R. respublica est: talis est et ea civitas quae rem publicam urbanam habet ut Latina et Graeca, et civitas Gallica non antiqua illa, quae rem publicam paganam habet, sed ea, quam Augustus constituit miscens rem publicam paganam cum urbana ita, ut in singulis civitatibus vicum unum pro municipio constitueret (vide Mommsenium in XVI Hermae vol. p. 485).

Digitized by Google

incolant cives R. non minus in civitate quam in vico (vide infra) et potest con. dici „universitas civium R. incolarum“. haec in municipiis non minus esse potest quam extra municipium, licet rara fuerit, cum incolae non soleant corpus habere. sed ni omnia me fallunt Luguduni fuit et universitas negotiatorum incolentium et singula eorum collegia[1]) qui consentaneo non civitatem R. sed negotiationem indicant, cum in municipio C.R. incolant, sed sunt non minus atque „*CR qui Gortyni consistunt*“ incolarum civium R. corpus. ut hi a negotiatione nomen ducunt, ut se a civibus distinguant (nam civium est agri sui cultura, incolae, quibus ager non est, negotiantur) sic iidem homines si in agro, qui non est civium R., considunt a civitate R. corpus suum nominant (conv. C.R.): scilicet omnis universitas ab ea re nomen ducit, propter quam facta est: conventus C.R. fit ad privilegia civitatis R. servanda, negotiatores illi Lugduni qui consistunt coeunt propter negotiationem. nec non haec eorum negotiatorum ratio est quae extra municipium C.R. alicubi negotia habent. propterea etiam invenitur „cives R., qui Mytilenis negotiantur.“ coniuncta inveniuntur nomina Mogontiaci: „cives R. manticulari negotiatores“. — quia negotiatoribus sede opus est, ex qua iter suscipiant mercatores, in qua mensam collocet fenerator, conventus

1) in titulis inveniuntur collegia *utriclariorum, fabrorum, centonariorum, dendrophororum, vinariorum „Lugduni consistentium“* (Wilmannsii exempl. 2217 seqq.). verbum consistendi cum incolatum exprimat et civitatis et loci (vide supra) hic incolatum in colonia Lugdunensi significat („L.“ consistentes) nec quia negotiatores vinarii non solum „vinarii Lugd. consistt.“ dicuntur sed etiam „*qui consistunt Luguduni in canabis*“, supplendum est ad cetera quoque collegia „in canabis“, sed ad incolatus Lugudunensis significationem additur scholae vel negotiandi locus. sic inter „*Italicos qui Deli negotiantur*“ sunt *οἱ τὴν τετράγωνον ἐργαζόμενοι* (feneratores Italici). sunt igitur Lugduni collegia incolentium negotiatorum. ut Italici Deli consistentes inde per mare Aegeum negotiantur, sic e. g. vinarii Lugdunum habent pro *ὁρμητηρίῳ*, quia L. est forum quasi Galliarum. — et qui dicuntur „*seviri augustales Lugduni consistentes*“ puto distingui satis a „*seviris augustalibus C(oloniae) C(laud) C(opiae) Aug. Lugd.*“ (Wilm. 2226) et videntur mihi negotiatores Lug. consistentes suos seviros habuisse, nam corpus habuisse eos eo efficitur quod invenitur „*patronus omnium corporum Lugduni licite coeuntium*“ (Wilm. 2226). seviros autem sic interpretari cogit ratio dicendi: genetivus decet collegium civium (vid. infra), consistendi verbum collegium incolarum. — adde quod apud Allmerum (Musée de Lyon, Inscriptt. antiques II p. 513) invenitur: *curat[or fabr? ‖ in Se]gusiavis n[egotiantium]*: sic cives R. conventus mox consistere mox negotiari dicuntur, cum res eadem sit, loci tantum condicio diversa.

Digitized by Google

fit, cum municipium desit. Narbo colonia condita est nemine magis suadente quam negotiatoribus, cum in re publica Rom. tutius negotiaturi essent quam in conventu. qui haec deliberat, intellegit conventum esse re vera „pro municipio“. — quae protuli aliquatenus discedunt a Mommsenio qui censet conventus natos esse e dioecesibus iuridicis, quos Plinius „conventus“ dicit. initium igitur mihi sumendum a vocabulo conventus C. R., ut videatur quid apud auctores, quid in titulis significet. — antea paucis praefandum mihi est.

Mommsenius, a quo rite mihi incepturus videor, ut quem nulla regio antiquitatum Romanarum lateat, sic primus et delineavit conventus rationem[1]) et opus esse diligenti eorum tractatione dixit. — 1879 Francogallus v. d. Morelius scripsit ad titulos conventus Helvetici commentarium haud spernendum[2]) „de curatoribus civium R.“ Morelius Mommseni commentarium ignorans non nisi iam scripta dissertatione adhibuit paucaque addidit de eo. — Wilamowitzio, studiorum meorum egregio columine, hortante equidem susceperam in negotiatores Romanos inquirere. quorum collegiis cum operam darem, delatus sum mox ad conventus C. R., qui sunt ut dixi corpus negotiantium civium extra territorium C. R. semper Wilamowitzio consilii illius gratiam habebo, cum conventuum, qui in medio sunt inter rem municipalem et collegialem, inter ius publicum et privatum, tractatio me in nescio quot alias vias devertere coegerit. — cum commentarium paene confecissem Mitteisii liber optimus[3]) prodiit, in quo, ut illustretur, quae ratio inter cives R. et peregrinas civitates in illis provinciis intercesserit, exstat caput „de civibus R. in provinciis consistentibus“. cum autem de iis tantummodo conventibus docto Themidis clienti agendum esset qui fuerunt in urbibus Graecis, ad totam conventuum rationem perspiciendam minus valere potest ille liber. — eodem quo ego tempore, auctore O. Hirschfeldio Berolini instituerat agere de eadem materia E. Kornemann cuius dissertatio prodiit cum ipse limam operi adponerem.[4]) primum

1) in egregio commentario de canabis c. Romanorum in Hermae vol. VII (1873) 2) Mémoires de la société d'histoire de la Suisse Romande XXXIV (1879) 3) Reichsrecht und Volksrecht in den östl. Provinz. d. Röm. Kaiserreichs (Lipsiae 1891). 4) Hirschfeldi benignitate liber statim mihi missus pervenit ultimis decembris diebus. E. K.: de civib. Rom. in prov. imperii consistt.

Digitized by Google

haud levi dolore afflictus iam meum commentarium non primum proditurum esse de conventibus C. R., mox perlecto Kornemanni opere vidi, nos adeo et in sententia de iure et ratione conventuum et in singulis dissentire ut laetus comparanda mea proponerem, certus, multum frugis lectorem ex commentariorum vel discrimine vel vicissitudine percepturum esse. ex Korn. titulis duo, qui me fugerant, supplevi, nonnunquam si commode addi poterat quatenus ab eo dissentirem exposui; ceterum, quod mutarem nec inveni (nisi fortasse minuta) nec si invenissem tempus et voluntas mutandi fuit. ergo exceptis iis quae de differentiis addidi, Kornemannium non adhibui.

Iam de vocabulo conventus C.R. videamus: ut recte iudicari possit, necesse est singula argumenta per tempora disponere (quotiens enim disputatio causa cadit argumentis ex auctoribus petitis non per tempora distinctis?). — prima conventus C. R. memoria apud Ciceronem exstat imprimis in Verrinis. — 1. conventus vocabulo significat coetum civium R. alicubi consistentium his locis: Verr. act. II[1]), V, 140: *C. Servilius civis R. ex conventu Panhormitano;* II, 32: *ceterarum rerum selecti iudices ex conventu C. R. proponi solent,* eadem formula „ex conv. C. R." invenitur II, 22; IV, 70; V, 155; IV, 137; V, 86. — V, 94: *quod is est Syracusis conventus C. R.* V, 16: *consensu magno frequentiaque conventus.* V, 113: *in conventu civium R.* II, 116: (Syracusis Verris statua deiectast) *quod* (meritum) *non est proprium Syracusanorum sed et illorum et commune conventus illius et totius provinciae.* III, 321: *ex omni copia conventus Syracusani, splendidissimorum hominum.* — Cicero utitur formula: „conventus Syracusanus". — pro „conventu Syracusano" promiscue dicit „*cives R. qui Syr. negotiantur*". etsi igitur nullum discrimen est, tamen hoc ipsum vocabulum ad quas urbes certo pertineat, dicam: con. C. R. invenitur apud Ciceronem: Syracusis, Panhormi, Lilybaei, „cives R. qui negotiantur": et in illis locis et Agrigenti, Messanae; conventus praeter hos Siculos etiam Capuae, „cives R. qui negotiantur" passim in Asiaticis urbibus. — 2. „conventum" dicit C. iudicium et quae ad iudicium pertinent, „*conventum agere*" dicit praetorem per urbes, quas edicto proponit, iudicia habentem. eandem

1) quae sequuntur omnia ex actione secunda cum petita sint, actionem non significabo.

Digitized by Google

rem dicit „*forum agere*“ (ad Atticum V, 21 § 9; V, 16 § 4, VI, 2 § 4) „conventus“ igitur primum est „iudicium“, quod recte „agi“ dicitur, conferas ad famil. III, 8 § 6: „*meus conventus erat Apameae*, *Synnadae*, *Philomelii; tuus* (Appium dicit praesidem Suriae) *Tarsi* (VIII id. oct. 703/51); § 5 (eiusdem epistolae): Laodiceam, Apameam, Synnada, Philomelium, Iconium enumerat. — ad famil. XV, 4 § 2: Laodicea, Apamea, Synnada, Philomelium (decembr. 703/51), ad Attic. V, 16 § 2 Laodicea, Apamea, Synnada (a. d. III/IV id. Sextil. 703/51) ubi Philomeliensem et Iconiensem conventum non nominat ad quos nondum venit eo tempore; (cf. itinerarium infra adscriptum)[1]. — ad Attic. V, 20: Ephesus, Laodicea, Apamea, Synnada, Philomelium, Iconium (decemb. 703/51); publicanis Sami conventum praebet (ad fam. III, 8 § 4; ad Att. V, 13); elucet, ubicunque praetor ex itinere moratur accipitque legationes civitatum, dicendum esse eum „conventum habuisse“. — quod in eadem epistula (fam. III, 8) et quinque et tres conventus (mensis octobris) nec non conventus, quos mense decembri habuit, mox omnes mox non omnes enumerat, nil refert. — p. Flacco § 71: *cur non Pergami, Smyrnae, Trallibus* (*negotiaris*) *ubi et multi cives R. sunt et ius a nostro magistratu dicitur?*

alia ratio conventus habendi describitur in epist. ad Attic. V, 21 § 9 (idib. februariis 704/50): *forum institueram agere Laodiceae: Cibyraticum et Apameense, ex idibus Martiis ibidem Synnadense, Pamphylium, Lycaonium, Isauricum*[2]. — hoc si confers cum epistula ad fam. III, 8 (v. supra), vides praetorem mox per singulas civitates[3]) conventum egisse (sic Cicero proficiscens in Ciliciam), mox in unam urbem ex aliis urbibus litigantes evocasse (ut Cicero rediens e Cilicia). seu illam seu hanc rationem praetor sequebatur, ex suo arbitrio locum conventus edicebat. nullum exstat vestigium, „conventus“ dici territorium, cuius civitates in eodem loco ius acceperint (ut apud Plinium). — nec διοίκησις, quo verbo Cicero saepius utitur, aliud significat quam regionem vel civitatem; conferas haec: Cicero διοικήσεις dicit regionem Cibyraticam, Apameensem,

---

1) Samus — Ephesus — Laodicea — Apamea — Synnada — Philomelium — Iconium. 2) conf. ad Attic. VI, 2 § 4: atque hoc foro, quod egi ex idibus februariis Laodiceae ad Kal. Maias omnium dioecesium praeter Ciliciae.... 3) haec iurisdictionis videtur prior ratio fuisse, cum praetor ius diceret loco iurisdictionis quae antea a singulis civitatibus exercebatur.

Digitized by Google

Synnadensem, Ciliciae attributas (ad fam. 13, 67). in dioecesi civitates plures insunt ut in una ex tribus illis urbs Laodicea est (l. l.): ad fam. III, 8; contra ad Att. VI, 2 § 4 dioeceses et civitates Ciliciae promiscue dicit[1]); nec non ad fam. XIII, 53 § 2. (cf. Aristidis I p. 527 D: *καὶ γὰρ ἦν ἐπὶ τῆς διοικήσεως τῆς περὶ Σμύρναν*; in hoc loco διοίκησις certe non est conventus iuridicus, cum singuli conventus singulos praefectos vix habuerint.) plane eandem rationem iurisdictionis etiam de Sicilia voce „conventus" significat ut Verr. V, 28: .. *oppidum esse in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus consistere praetores et conventum agere soleant* . . . — altera illa ratio in unam urbem omnes evocandi in Sicilia non adhibetur. — 3) „Conv." dicit coetum quemvis hominum. seu perpetuum ut conventum C. R. seu congredientem discessurum ut multitudinem tribunal circumstantem vel Siculos Romam profectos ad ius petendum (Verr. IV, 138); *„contio conventusque"* Verr. V, 140; ad famil. XV, 4 § 2: *quibus in oppidis cum magni conventus fuissent.* (conferas Horatii illud „ridetur ab omni conventu.")

sequitur Caesar eiusque asseclae. 1) conv. C. R.: bell. civ. II, 18: *Cordubae conventus* .. *portas Varroni claudit;* II, 20: eius conventus cives R. recipiunt legionem; III, 32: civibus R. eius provinciae (Asiae) sed *in singulos conventus singulasque civitates* certae pecuniae imperabantur; III, 9: *conventum Salonis cum neque pollicitationibus* .. *promovere posset;* III, 29: *cives R., qui Lissum obtinebant;* de iisdem dicit III, 40: .. *cives R., qui eius conventus erant;* II, 36: *erat in oppido (Vtica)* .. *conventus is, qui ex variis generibus constaret;* I, 15: *familias conventus Campaniae;* conferas B. Gall. VII, 55: *interfectis Novioduni custodibus quique eo negotiandi aut itineris causa convenerant* . . — 2) „conventus" pro „iudicio" saepius Caesar dicit: b. Gall. I, 54 ipse in citeriorem Galliam ad conventus agendos profectus est, VIII, 46 et passim. — auctor belli Alexandrini cap. 56: (Caesar) *in Hispania equitum delectum instituit, quos ex omnibus conventibus coloniisque*[2]) *conscriptos* . . . *vocabat*; cap. 57:

---

1) p. 6 not. 2: ex hoc loco egregie elucet, dioeceses non ad iudicia pertinere, cum Cicero simul forum egerit complurium dioecesium! 2) „colonia" dicit conventus aratorum (colonorum) ut auctor b. Hispaniensis 7; et imprimis iuris consulti gromaticique (locos collegit Kuhnius: „Verfassung des Röm. Reichs" I p. 31).

Digitized by Google

conv. Cordubensis; conferas cap. 43: *Salonam ... in oppidum, quod cives R. fortissimi fidelissimique incolebant* (Caesar „conventum Salonis“ dicit). — auctor belli Africani de conventu Uticensi, Thapsitano, Hadrumetino saepius dicit: „*Hadrumetinis II S XXX conventui eorum II S L Caesar imperat* (cap. 97); „*P. Atrius, eques R. de conventu Uticensi*“ (68). — Livius epit. 134 *cum Augustus conventum Narbone ageret;* XXXI, 29: sic Siculorum civitatibus Syracusas aut Messanam aut Lilybaeum *indicitur concilium, praetor R. conventus agit* . .“ — Plinius primus conventus vocabulo significat territorium, cuius civitates in certo oppido conveniunt, in quo ius accipiant: conferas: *universa provincia dividitur in conventus tres* (N. Hist. IV, 137), nec non urbem in qua ius dicitur „conventum“ appellat: *conventum Scardonitanum petunt* (III, 139). haec iurisdictionis ratio invenitur secundum Plinium in Asia, Illyrico, Hispania. — ut nominis Plinius sic rei primus testis est Strabo p. 629 (Cas.) qui oppida, quibus attribuuntur iurisdictionis causa alia oppida, dicit *διοικήσεις: εἰς δὲ τὴν σύγχυσιν ταύτην οὐ μικρὰ συλλαμβάνει τὸ τοὺς Ῥωμαίους μὴ κατὰ φῦλα διελεῖν αὐτοὺς ἀλλὰ ἕτερον τρόπον διατάξαι τὰς διοικήσεις, ἐν αἷς τὰς ἀγοραίους ποιοῦνται καὶ τὰς δικαιοδοσίας.* — ut *διοίκησις* etiam *ἡ ἀγόραιος* (scil. *σύνοδος?*) de conventu dicitur. „conventus agitur“ vertitur et *ἡ διοίκησις ἤχθη* (Dio Chrys. II p. 205. 208 R.) et *ἡ ἀγόραιος ἤχθη* (eph. ep. VII, p. 436). tenendum, ante Strabonem nullum exstare testimonium. — itaque apud auctores haec fere de conventu C. R. inveniuntur: dicitur conventus Syracusanus, Syracusanorum, Syracusis, qui Syracusas obtinet, „eius conventus cives R.“, „homo e conventu Syracusano“; „civium Romanorum“ saepe omittitur. — pro „conventus C. R. Syracusanus“ etiam dicitur: cives R. qui { negotiantur / incolunt } Salonae. — itaque apud auctores conv. C. R. est coetus civ. R. negotiantium alicubi (in oppido peregrini iuris). — aliam definitionem profert scholiasta qui „Pseudasconius“ dici solet ad Verr. act. II, II, § 32: „ex conventu C. R.“]: „*ex iis civitatibus, ad quas cives R. convenire solent agendae suae aut publicae rei causa*“. — non intellegit Ciceroni esse conv. C. R. coetum C. R. intramuranum, sed ad conventum C. R. explicandum adhibet aliam verbi vim, quam e. g. apud Colu-

Digitized by Google

mellam invenis 1 praef. 18: „*nundinarum etiam conventus*". Festus p. 41 *conventus*]: *quattuor modis intelligitur: uno cum quemlibet hominem ab aliquo conventum esse dicimus, altero cum significatur multitudo ex compluribus generibus hominum*[1]) *contracta in unum locum*, *tertio cum a magistratibus iudicii causa populus congregatur*, *quarto cum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis aut gratulationis causa colligitur.*"

quotquot alii loci colligi possunt consentiunt „conventum" esse coetum[2]) (quod idem est, co-ire) hominum eiusdem rei causa factum. hoc quadrat ad eos qui iudicii petendi, qui negotiandi causa in locum convenerunt quive alia de causa, ut nuptiarum celebrandarum ergo (ut apud Catullum conventus dicitur frequentia nuptialis in Pelei domo). — ut Mommsenius censet conventum C. R. denominatum esse a territoriali iudicatione, sic exstiterit qui credat, ab illis conventibus per aliquod tempus qui fiant, nomen accepisse coetum C. R. cuius conventus perpetuus sit. addiderit cives R., antequam terrae in populi R. imperium venerint, re vera conventus per aliquot dies effecisse in foris peregrinorum populorum ut „cives R. qui Noviodunum convenerant" apud Caesarem. deinde cum in provinciis populi R. perpetui conventus fierent, translatum esse vocabulum. at cum in „conventus" voce tem-

---

1) Caesar idem de conv. C.R. Uticensi dicit. 2) conventus vel, alia terminatione adhibita, conventio (contio) et coetus semper servaverunt eam vim, quae ex etymo consequitur (licet in ipso etymo non insit temporis quod dixi definitio, tamen homines qui conveniunt coeunt ad rem communem agendam, hac re satis discussa discedere solent, id est coetus, conventus proprii dicuntur congregationes non perpetuae). quae irrepsit in vocabulum conventus cum dicitur „conventus C.R." vis collegii non tetigit verba illa affinia. praeterea praeter „conventum C.R." unum tantum exemplum collegii „conventus" dicti inveni [nam concilia quae fiunt ad templum seu dioecesis iuridicae (ut in Hispania) seu provinciae totius (ut Trium Galliarum) quae conventus interdum dicuntur (p. 14) non perpetua sunt et, licet personae vice sint, re vera personam sustinent tantum ad sacra facienda seu iurisdictionem, nam in ceteris rebus singulae conventus civitates se ipsae administrant] „conventum matronalem", qui est corpus vel ordo matronarum nobilium cum senatu suo et curia (vide Friedlaenderi hist. morum R. I^5 p. 423). „conventus" dicitur hoc corpus ni fallor primum apud Senecam (de matrimonio) III p. 428, 49 (Haasii) — „contio" vocabuli vis ita definita paulatim est ut „significet conventum non tamen alium quam eum qui [a] magistratu vel a sacerdote publico per praeconem convocatur" (Festus p. 38). conferas SCi de Bacchanalibus „coventionid exdeicatis".

Digitized by Google

poralis definitio non insit, non video, cur non ut de coetibus paucorum dierum sic de perpetuis „conventus“ dici potuerit.

C. C. R. semper significat numerum hominum, non ad locum significandum translatum est. Pseudasconius hoc non vidit. contra conventus iudiciales cum territoriales fierent veterem vim non sic servabant et Plinius dicit „conventum petere“, „provincia dividitur in conventus“. perlucet tamen vocabuli prior vis cum dicit (V § 95) „Lycaonia, cum qua conveniunt Philomelienses etc.“

in titulis idem qui apud scriptores vocis „conventus“ usus est. invenitur vocabulum in hisce: *cives R. conventus Helvetici; conv. civium R. et Numidarum qui Mascululae habitant;* (Brigantione) *cives R. de conventu civium R.; ὁ τῶν Ῥωμαίων κόνβεντος*: Thyatirae.— cum his collegiis civium R. „conventus“ qui dicuntur iuridici nulla ratione coniuncti videbantur. — tamen aliud creder viri docti qui has res tetigerunt, consueverunt. — atque Mommsenius (Hermae vol. VII 319, hist. Rom. II^7 p. 407)[1]) censet conventum C. R. dici universitatem civium eorum qui intra iuridici „conventus“ s. dioecesis fines habitant, idem Waltherus (hist. iuris Romani I^2, 280)[2]) vel potius W. ut Rudorffius (hist. iur. Rom. II p. 5) „conventum C. R.“ iudicat fuisse dioecesin civium R. litigantium. de hac sententia infra dicam (p. 15). Morelius de conventu eadem quae Mommsenius censet. Mitteisius, cum tacet de ratione inter conventum C. R. et iuridicum (quem „dioecesin“ ut Strabo appellabo) profiteri nullam hanc esse videtur. — statuit igitur, qui quod Momms. putat, „conventus“ vocabulo primum appellatas esse dioeceses, ab his nomen translatum esse ad civium R. secundum fines dioecesis constitutam universitatem[3]). en fingamus rem ita se

---

1) „die innerhalb eines Römischen gerichtssprengels verweilenden Röm. bürger“ item in Hermae XVI vol. p. 477; eph. ep. VII, 442.

2) „die gesammtheit dieser zu einem eigenen landtag gehörigen Römer bildet einen eigenen convent.“ 3) Mo. in epistula benigne mihi missa rem sic definit ut tenere iubeat „den gegensatz der wahrscheinlich älteren conventus C. R. und der in einer einzelnen stadtgemeinde hausenden Römer“. hanc sententiam repetit Mommsenius in commentario egregio ad Apameneum titulum scripto eph. epigr. VII p. 442: „nam eiusmodi universitas sive oppidi unius incolas cives R. comprehendit sive, quo ducit potissimum titulus supra laudatus Thyatirenus [v. infra], ad conventum unum qui pertinent cives R. omnes“. censet igitur primam rationem conventus C. R. fuisse secundum dioe-

Digitized by Google

habere, tum non minus constaret de hisce: I) eam urbem, a qua nomen sumit conventus C. R., caput dioecesis esse (nam ut dioecesis sic conventum C. R. a capite nomen accipere illos concedere opus est). cohaeret cum hac necessitate alia: dioecesin prius fuisse quam conventum C. R.; — II) necesse erat significatum esse ita conventum C. R. ut, ad quam dioecesin pertineat, perspicuum sit, ex. gratia: cives R. qui intra dioecesin Pergamenam negotia habent dici „cives R. conventus Pergameni". — at (quod ad I) invenimus Thyatiris „conventum" cum „curatore civium R." Thyatira autem inde ab anno demum 215 post Ch. (bullet. de corr. hellen. X p. 417) caput dioecesis fuit. antea pertinet ad dioecesin Pergamenam (Plinius); nec minus ubi „conventus" ceteri inveniuntur in Helvetiis, Mascululae nullae dioeceses sunt. — quod ad scriptores, Lissi „conventum C. R." constitisse Caesar (b. civ. III 29; 40) tradit. dioecesis autem non Lissus est sed Narona (Plin. III § 144). — iam nemo negabit, cum dicitur „conventus civium R. qui habitant Mascululae" non significari caput dioecesis sed locum. cum autem formula „cives R. qui negotiantur Prymnessi" idem significet quod „habitant", conventum ad dioecesin pertinere, iam erit qui non credat. — quod autem in ea urbe, cuius coetum C. R. novimus, conventus iuridicus saepe invenitur, si non inveniretur mirum esset cum in quovis paene oppidulo (velut ἐν Νάει Phrygiae; vide infra) consistat. — Mommsenius censet (Hermae VII p. 319 not 2) conventum C. R. Capuae (Cicero p. Sestio) a „praefectorum Capuam Cumas" dioecesi nomen cepisse. at dioecesis praefectorum

---

cesin, posteriorem secundum singulas civitates. „conventus" vocabulum proprium putat esse priori classi; at iam titulus Mascululanus „conventus civium R. — — qui habitant Mascululae" ceterique monstrant non minus illam recentiorem (ut fingam re vera fuisse duas classes) formam sic dici nominaque eadem mansisse. restat ut refutem rationem mutatam esse. atque Cicero „conventus C. R. Syracusanus" et „cives R. qui Syracusis negotiantur" promiscue dicit. „C. R. qui S. negotiantur" cum nemo negare possit ad pomerium Syracusanum pertinere, sequitur „conventum" dici etiam hoc urbanum collegium civium R. — alia infra addam dum reicio unquam cives R. secundum dioeceses constitutos fuisse. hoc unum quaero iam hic ubi mihi res est cum duobus se excipientibus conventus C. R. formis, quae tandem causa potuerit esse, ut cives R., quorum per singulas urbes sat multi negotiabantur, non singula per singulas civitates collegia haberent sed per dioeceses?

Digitized by Google

Capuam Cumas non solum Capuae agrum comprehendit sed Cumas Puteolos alias urbes (Festus p. 333 Mülleri) ita ut, si fines conventus iidem qui dioeceseos fuissent, conventus iste comprehendisset cives R. Puteolanos, Calenos non minus atque Campanos. qualem conventum C. R. miram rem esse, non est quod moneam.[1]) — sed quod omnia „hoc aio“, „hoc nego“ tollit, iam supra tetigi: dioeceses post Ciceronem ante Strabonem Pliniumve institutas esse videri [2]) (nec nisi in Hispania, Illyrico, Asia; certe Plinium non credo omisisse per ceteras provincias dioeceses percensere, si fuissent, etsi non negarim hoc cogitari posse). res iudiciaria Ciliciae ita se habet apud Ciceronem, ut praeses provinciae oppida nonnulla, in quibus moraturus sit ad legationes accipiendas, ius dicendum, edicto promittat. dum in Ciliciam proficiscitur Cicero conventus habet per plures stationes. contra anno 704/50 uno in oppido, Laodiceae, ius dicit omnibus civitatibus praeter Ciliciae. — itaque ex arbitrio suo proponit praeses loca, in quae conveniatur, nec sunt certa territoria certas urbes quae contineant. adde, quod dicitur „ad conventum civitates evocare“ (ad Attic. V, 21 § 6): evocatione non opus erat si dioeceses fuissent. — cum igitur prima ratio haec sit ut praetor edicat in quibus

---

1) praeterea nego, iurisdictionem praefectorum Capuam Cumas comparandam esse cum dioecesibus quas in nonnullis provinciis invenimus. 2) Wilamowitzius speciosam de dioecesis vocabulo sententiam mecum communicavit hanc: videri *διοικήσεως* rem et verbum e re publica Pergamena a S. P. Q. R. in provinciam Asiam receptum esse. — atque ut examinemus hanc coniecturam, vocabulum ipsum profitetur, ex administratione Graecae alicuius rei publicae, in provinciae formam mutatae, dioeceses receptas esse. Graecae rei publicae maiores (in maioribus videlicet tantum talis administratio iurisdictionis esse poterat) ante Ciceronis aetatem provinciae factae sunt hae: Macedonia (anno 146), Pergamenum regnum (133), Bithynia (74), Pontus (63); e quibus certe Pergamum maximo cum iure dioeceses sibi vindicat. — Wilamowitzii sententiam si probamus, constat „conventus“ vocabulum de dioecesibus translate adhiberi. — sed cum Ciceronis aetate nec iurisdictio per dioeceses inveniatur nec dioecesis vocabulum ad rem iudiciariam pertineat, mihi quidem non licet ingeniosam coniecturam recipere. in Pergamenis titulis frustra, an forte aliquem *ἐπὶ τῆς διοικήσεως* . . . invenirem, scrutatus sum. — praeterea „*ἡ διοίκησις* (sive *ἀγόραιος*) *ἤχθη*“ graecum non est, cum *διοίκησις* sit territorialis administratio (e. g. *η διοίκησις ἡ περὶ Σμύρναν*, cf. p. 7), sed versio latini „conventus agitur“. — sequitur dioecesis vocabulum translatum esse scil. propter iudicationis territorialis cum administratione Graeca territoriali similitudinem.

Digitized by Google

urbibus ius dicturus sit, tamen in his eligendis norma aliqua observari oportuit, ne, verbi causa, praeses conventum indiceret toti provinciae in duas urbes ultimis in finibus sitas, sed dispertiret quadam aequalitate fora ut Cicero proficiscens in provinciam. — hanc consuetudinem (— caveas legem dicas, quae nulla fuit —) Cicero significat Verr. V, 28: .. *„oppidis, in quibus consistere praetores et conventum agere soleant.“* — habeo exemplum praeterea hoc: C. Servilius Panhormitanus in foro Lilybaei respondet iudicio (Verr. V, 140). quod, si Panhormitana dioecesis, quam Marquardtius (administr. imp. R. I p. 247) fingit e loco Verrinae quintae § 16, fuisset, fieri non potuit. — quomodo autem dioeceses paulatim e iurisdictione per certas urbes haberi solita fieri potuerint, perspici potest: si enim praetores disponere conventus per provinciam solebant, reliquum erat, ut hae civitates, quae eundem conventum petere assueverant, lege addicerentur ei conventui, et iam e vagis conventibus dioecesis nata erat. — quo tempore illa consuetudo hac lege fixa sit, nescio. anne cum Augustus anno 727/27 provincias ornaret?

ergo inter conventus C. R. et dioeceses nulla intercedit ratio. neque unquam (quod alterum necessario inveniretur) coetus civium R. a dioecesi nomen ducit, sed seu ab civitate, in qua incolunt, seu a loco si deest civitas. — Marquardtius (l. l. p. 247 not. 3) affert locum Verrin. V, 140 „civis R. e c o n v e n t u Panhormitano“ ut probet Panhormitanam dioecesin aliquam fuisse. vellem ne neglexisset, hoc ipso in loco narrari, de cive R. e conventu P. in foro Syracusano ius dictum esse! sed „C. R. e conventu P.“ dicitur ut, verbi causa, „ex municipio Apulensi“. — *„cives R. conventus Helvetici“* dicitur pro „conventus C. R. Helveticus“. eadem formula saepius invenitur: Caesar b. civ. 20: „quod factum adeo eius conventus cives Romani comprobaverunt —“ (de conventu Hispalensi dicit). praeterea dioecesis, quae civitatem Helvetiorum comprehendisset, nulla fuit. conventus, qui in civitate urbana degit ab urbe, qui in civitate Gallicae formae, a civitate nomen ducit. vix est quod moneam dioecesin a capite suo, id est ab urbe, nominari ita ut „conventus Aventicensis“ cogitari possit, Helveticus nullo modo. — — iam res sic se habet ut apparuerit, quod iam in initio monstravi, „conventum C. R.“ eodem iure idem

Digitized by Google

nomen habere quod conventus iuridici; scilicet quia conveniant seu convenerint, ut ad negotiationem cives R. sic ad ius accipiendum provinciales. — tamen certum est conventum C. R. potuisse constitui secundum dioecesin (dummodo in hac dioecesi municipia C. R. non essent) ut secundum provinciam constitutus conventus invenitur (v. infra) „cives R. . . qui in Raetia consistunt". sed, nisi gravis causa prohibebat, quo minus per singulas civitates aut vicos cives R. coirent, tales conventus vix facti sunt, cum Romani soleant per oppida conciliabulave res publicas habere, non ut barbari solent per civitates. quae ratio ut ex urbe Roma intellegitur pro civitate Romana constituta sic quadrat ad eas universitates, quae constituuntur a civibus populi Romani, nam servatur patrius mos a colonis (sic licet abusive cives R. conventicios appellare). — at obiecerit quis: iudices a praetore e conventu C. R. sumi Cicerone teste, cf. Verrin. II, 32; 34: „*selecti iudices ex conventu C. R. proponi solent*" quibus verbis artissimam esse rationem inter conventum C. R. et iuridicum effici. at res ita se habet, ut praeses „e civibus R. provinciae" iudices vel consilium instituere iubeatur (Gaius I, 20). scilicet ex qua universitate esse debeant hi cives R. non definitur, itaque vel ex municipiis, si inerant in provincia, vel si deerant ut in Sicilia Ciceronis temporibus „e conventu C. R." iudices dabantur; ad dioeceses haec iudicum e civibus R. lectio nullo modo pertinet. — iam de Hispaniae conventibus possumus iudicare, quos Mommsenius (Hermae vol. VII, 319) putat conventus C. R. esse. nominantur enim in titulis plures „conventus": Asturum, Tarraconensis, Bracaraugustanus, Carthaginiensis, Caesaraugustanus. omnes pertinent ad Hispaniam Citeriorem; cuius provinciae flaminibus titulos ponunt. habent hi conventus „sacerdotem Romae et Augusti" ex. gr. „conventus Asturum", invenitur „censitor conv. Caesaraug." (CIL. VIII, 7070 add. p. 965); „ex conventu" e. g. „Carthaginiensi" quod dicuntur esse flamines prov. Hisp. Citer., Huebnerus vidit, si quis originem ducat e capite conventus, conventum pro urbe nominari. facile intellegitur, hos conventus esse dioeceses iuridicas. nam congruunt quos in titulis invenimus cum Plinianis. conventus C. R. eos esse, iam aliis de causis abiciendum est. nam sacerdos Romae et Aug. conventus Bracaraug. peregrinus est: „[Ca]malus Melg[aeci] filius"

Digitized by Google

(C. II, 2426)[1]. nemo autem negabit in conventu C. R. peregrinum non posse fungi sacerdotio.[2] — deinde in Hispaniae conventibus coloniae, municipia C. R. sat multa insunt (vid. Plinium)[3].

ergo conv. C. R. est primum coetus C. R., qui negotiandi causa eodem loco vel in eadem civitate consederunt. — in „conventus“ vocabulo non inest communis consilii significatio, quod homines undique commigrantes habere nequeunt. itaque conventus C. R. cum dicitur non universitas C. R. ipso vocabulo significatur. nec magis cum dicitur „cives R. qui negotiantur Argis“. sed apparet cives R. conventicios rem publicam mox constituisse, ita ut „conventus“ iam vim universitatis acciperet. sufficit Rudorffio hoc obicere, conventum C. R. rem publicam significare (p. 10). hoc exprimitur satis titulis („conventus C. R. et Numid. qui Masc. habitant“). sic „conventus“ vox ut *σύνοδος* (e. g. *σύνοδος τῶν μελανηφόρων*: Deli) collegii nomen fit cum primum solam congregationem fortuitam significasset. hoc est: „cives R. qui Noviodunum negotiandi causa convenerant“, illud „cives R. conventus Helvetici“. — ut „conventus“ re vera de quovis coetu negotiantium (incolentium seu adventorum) dici potest, sic „conventus civium R.“ universitatem exprimit incolentium extra territorium civium. — privatae rei vocabulum „conventus“ est et conferendum cum eiusdem rationis vocabulis „canabenses“; ho[mines] (in canabis Issae); populus (in praediis Caesaris Coelae); nec non „vicani“ (vicus = *ϝοῖκος* = „baute“). his commune est significare seu locum seu homines eius incolas, non rem publicam, quam si isti vicani, canabenses, conventus cives R. cum habent tum vocabulo tali significant, tenendum tamen est illatam esse hanc vim non inesse[4].

---

1) peregrini sacerdotes conventus vel provinciae licet rari inveniantur, non alieni sunt ab his dioecesibus, quae scilicet e peregrinis non minus quam e civibus constant. conf. Albinus Albini f. flamen divi Aug. prov. Lusitaniae (C. II, 473) v. Huebnerum C. II p. 749 sqq. 2) curatores C. R. ex peregrina civitate sumpti comparari nequeunt (v. infra). 3) qui apud Allmerum (Musée de Lyon, Inscr. antiq. 1889, II p. 86) invenitur in titulo „[conventu]s Arensis“ ipso nomine indicatur „concilium Galliarum“ esse, quod apud Aram Augusti convenit. 4) re vera vocabulum „coloniae“ quo publice constituta civium R. res publica significatur, olim significabat (et apud IConsultos et agrimensores significat) conventum colonorum (conf. Momm. staatsrecht III pag. 793).

Digitized by Google

sic *τὸ πλῆθος τῶν Λινδίων* (vicani Lindii) ab urbe „*ὁ σύμπας δᾶμος* (Rhodiorum resp.)" sic „plebes" a „populo Romano" distinguitur. — — Kornemannus etsi vulgo „conventum C. R." non pertinere ad dioecesin iuridicam vidit, ut oportet, tamen sic primum aliquod tempus dictos esse cives R. iudiciorum causa aliquam in urbem contractos concedit (p. 16). affert Ciceronis locos. sed loci quadrant omnes ad eam, quae mihi videtur esse, rationem. nec minus „conventus C. R." „non solemniter" abhibitum esse. at non magis solemniter dicitur „cives R. qui consistunt"; utraque vox rem publico iure carentem significat; si autem quaeris utrum vocabulum maxime exprimat rem publicam talem pro municipio constitutam, „conventus C. R." vocabulum dico, nam in eo inest universitatis aliqua significatio, quae omnino non inest in formula „cives R., qui . . . consistunt". „conventus" est res publica a „civibus R." constituta, quod e Mascululano titulo optime intellegitur. — concedit igitur Mommsenio conventus et rem et vocabulum ortum esse e dioecesibus. — „conventus" vox non minus quadrat ad cives R. in civitate quam ad cives in loco excepto (v. infra) consistentes, cum congregationem ipsam significet. tamen id ipsum quod conventus C. R. significat rem publicam sui iuris efficit ut incolatus civitatis fere alienus sit a nomine „conventus". „conventus" habet vim absolutam, „cives R. qui . . incolunt" relativam. itaque vix dici potuit: *ὁ κόνβεντος τῶν Ῥωμαίων τῶν παρ' ἡμῖν κατοικούντων*" cum illo nomine, se suam rem habere; hac, se pertinere ad Graecam, professi essent. verbum ubi additur et dicitur „conventus civium qui . . habitant" significat conventum vicanum et locum nulli civitati addictum. — co. cum pro municipio sit potest municipii ius assequi. hoc tamen de solis vicanis conventibus dicendum, cum conventui civitatis id est incolarum collegio nequeat ius municipale dari sed detur civitati ita ut iam consistentes cives R. cum Graecis ad municipium coeant. vicanos conventus ad municipalem statum promotos infra ubi „de conventu vicano" singillatim disseram, enumerabo. provinciae conventus ut „cives R. . . qui in Raetia consistunt" municipium consentaneo fieri nequeunt nec minus probabile est posse eos *συνοικισμῷ* aliquo contrahi in unum e vicis provinciae iam ad municipii ius auctum. sed ita res se habet, ut municipio constituto in Raetia conventus sublatus esse pu-

Digitized by Google

tandus sit (cum conventus C. R. nequeat comprehendere etiam municipium C. R.) res ipsa, id est collegium negotiatorum Raetiae, mansisse (ut „negotiatores prov. Apulensis“ inveniuntur. v. infra) nisi forte plerosque negotiatores ad collegia municipalia in municipio illo coisse mavis credere, ita ut pauci si qui in vicis manebant suum collegium iam non habuerint. — de conventu aratorum ad coloniam constitutam Capuam manente, infra ubi de Capuano conventu agam, disputabo. — fines conventus civium qui in civitate incolunt, sunt civitatis fines (territorium), cives conventus vicani suum territorium habent. — quis ad conventum pertinuerit, sic definiendum: qui intra fines conventus habet sedem domiciliumque. nam municeps est qui sedem domumque habet in municipio. hoc ad conventum adhibendum, scilicet ita ut pro „domo“ substituatur „domicilium“ ut pro „municipio“ „conventus“ (possunt cives R. conventus, iure commercii [ἔγκτησις] impetrato, proprietatem habere territorii: sic in Coo conventu sunt et ἐνεκτημένοι et γεωργεῦντες [coloni]; ceterum proprietatem an possessionem habeat conventus iuris discrimen non facit, cum etiam proprietas agri non ex iure originis sed ex iure incolatus repetatur). — qui igitur domicilium non habet in conventu, proprie ut dicam in conventu non est, sed hospitii iure ad eum accedit dum moratur inter cives R. conventus. — ad conventum civitatis hoc minus quadrat, qui, cum ipse incolat, incolas legitimos non potest habere. invicem, cum non minus ac vicanus rem publicam suam habeat, pro incolis habere potest eos qui non ut ita dicam „cives“ conventus sunt. adiuvat ut hoc probemus analogia petita a cleruchia Deliaca populi Atheniensis. quae cleruchia ipsa licet incolat (οἱ κατοικοῦντες) habet eos qui non cleruchi sunt pro incolis; non semper sed interdum, cum status non ius respiciebatur, non minus cleruchi quam ex. g. Italici „κατοικοῦντες“ dicuntur (vide quae ad „Deliacum conventum“ infra exposui). — conventum suis finibus definitum fuisse etiam quod dicitur „e conventu C. R. Syracusano“ esse (ut „municeps e municipio Apulensi“, quod cum dicitur, incolae non dicuntur) monstrat. hoc quoque deliberandum: ut praetor iudices e conventu eligere possit, fuisse oportere tabulam in qua, qui pertineant ad conventum, perscripti erant cives R. — dixerit quis „e conventu esse“ cum dicatur videri originem

Digitized by Google

duci posse e conventu, cum non solum e municipio C.R. sed etiam ex urbe Graeca inde ab Augusto potuerit origo duci civis Romani. at nequit e. g. Trallensis res publica comparari cum conventu, cum ex Augusti interpretatione (v. Mommsenium in Hermae vol. XIX: de conscriptione) Graeca civitas quasi municipium sit, conventus contra, licet „instar municipii“ soleat esse, id est numero civium vici sui amplitudine, semper id servat, ut sit pro municipio, id est careat iure municipali. Tralles autem habebatur, si licet hoc vocabulo uti, pro municipio C. R. Graeco. ne e vicano quidem conventu origo duci potest. licet longe superaverit conventus talis haud pauca municipia, deest ius municipale. praeterea qui in conventu incolunt cives domum habent (etiam si quis in conventu natus est; sequitur enim originem patris vel avi) municipalem: duplicem autem originem nemo potest acquirere![1]) — quid, si civitati e. g. Trallensi ius municipale datur? tum, antequam licebat duarum civitatium civem esse (id est fere ante Augustum, vide Momms., Staatsrecht III p. 699), civis R., Trallibus negotians, domo Capua, servabat originem Capuanam cum oblatam civitatem Trallensem recusare deberet; postquam ad civitatem R. Graecae civitatis civitas acquiri poterat, non minus ipse servabat sed filius poterat vel Capuam ex origine paterna vel Tralles, cuius civitas patri data erat, pro origine nominare. talis mutatio ad eos cives R., qui non a re publica Trallensi inter cives recepti erant, consentaneo non pertinet, qui, ut antea urbis Graecae, iam municipii C. R. incolae sunt. — si vicanus conventus in municipium mutatus est, id, quod modo dixi de eo civi conventus Trallensis qui civitatem Trallensium habet, ad omnes vicanos pertinet, id est „additur patria“ (conf. Kuhnii „de re municip.“ I, 27), prior patria tolli nequit nam „origine propria neminem posse voluntate sua eximi, manifestum est“ (Cod. Iust. X, 39, § 4). — qui cives R. non simul municipii cives sunt, (ut veterani missi sine deductione) cum sit conventus pro municipio, civitatem fingunt a conventu petitam. sic „cives R. qui consistunt in canabis . .“ iam

---

1) quod auctor b. Hispaniensis (31) dicit „equites Romani partim ex urbe partim ex provincia (Hispania)“ non ius sed rem significat. „e provincia“ sunt qui incolunt in provincia. municipia C. R. eo tempore nondum erant in Hispania.

Digitized by Google

appellant se „*canabenses*" municipali forma (ut Aquincenses); quin „*civis R. Carnuntiensis*" (ephem. epigraph. II n. 328) invenitur; cum vulgo nominentur hi cives R. e. g. „cives Romani Mogontiaci" vel „. . qui consistunt Mogontiaci". quod additur „Romanus" invicem definit civitatem istam canabensem ita ut profiteatur re vera deesse homini municipalem patriam, id est habere eum solam „communem patriam" (Dig. L, 1, l. 33) Romam, pro supplemento fingi patriam e conventu. — non minus quam in pluribus municipiis aliquis incola esse potest (Dig. L, 1, 6). conventuum plurium „civis" esse potest civis R. nam ad conventum pertinet civis R. incolatus iure.

Iam de ratione conventus satis instructi ad singula quae exstant per titulos testimonia procedendumst eoque ordine quem in initio commentarii probavi. — primum igitur de conventu civium R. in civitate incolentium disseram.

I. conventus oppidi Latini. in titulo municipii Latini Bracaraugustae (vide CIL II p. 338) pessime mutilato, in fine legitur C. II, 2423: *Q (?) Iunio LVL? || Romani || cives Romani qui nego||tiantur Bracar. August.* eadem igitur invenitur formula quae in Graecis urbibus (C. R. qui negotiantur Mytilenis), quarum conventus cum certe universitates sint non video cur, Bracaraugustanos cives R. universitatem fuisse, dubitetur (conf. Hermae vol. VII p. 320). — Carmone (Baeticae): quod oppidum, cum in titulo infra scripto IIIIvir inveniatur, latinum videtur fuisse, C. II, 1380: *IIIIviro .... equites Romani aere collato d(ederunt).* recte Huebnerus vidit titulum positum esse ab equitibus R. Carmone degentibus. — licet de conventu Carmonensi nil sciamus, necesse est omnia quaecunque sint conlegia civium R. extra municipia C. R. constituta percensere, cum saepe in urbibus peregrinis non conventum sed singulorum generum conlegia fuisse pro certo habeam (cf. infra). — hi equites ut Lugduni qui incolunt (Wilmanns 2230) universitatem habent exemplo equitum urbis Romae (Staatsrecht III, 525), fortasse non corpus, id est adversus populum R. personam, nec arcam habent („aere collato" hoc monstrare videtur). — ad Brigantionem, in finibus civitatis, quae fuit Caturigum, sitam (Cottis Alpibus), pertinet fragmentum lamellae aeneae in codice Peiresciano servatum, in quo

Digitized by Google

commemoratur ordo et plebs municipii Latini B. (conf. C. XII p. 15; p. XIII) aliaque genera civium, in his „conventus civium R.“ de aetate tituli non constat; quod in initio suppletur [*domi*]*ni*. *aug*. *Constan*[*tini* . . .] incertum est, ita ut Hirschfeldius *constan*[*ter?* . .] coniciat (Kornem. p. 76) et antea [*imp*. *caes*. *Vespasia*]*ni aug*. ceterum potuerunt etiam post constitutionem Antoninianam, qua totius orbis hominibus civitatem R. datam esse, IConsulti affirmant, conventus C. R. fuisse, cum satis constet (iam e diplomatis veteranorum cum civitate data missorum) iuris consultos rem adauxisse (cf. de constitutione illa Mitteisium p. 159 sq.). C. XII, 94[1]):

1 NI AVG CONSTAN

2 *pro* VINCIA ALPIVM MARIT *im municipe* S EIVS MVNI *cipii*

3 *m* INVS MVLTI QVAM QVI *inter decurio* NES EIVS MV *nicipii*

4 MVNICIPIBVS EIVS MVNI *cipii civib* VS ROMANIS

5 D E C O N V *entu civi* VM RO *manorum* . . . . a

6 ROMANIS QVI M V N I C I P *ii*

7 BIIS BRIGANTIONIS SVNT

8 *m* VNICIPII I N T E R I P S O S

9 I CVM PEREGRINIS EIVS P *rovinciae*

quatenus fieri potest temptavi cognoscere, quid pro certo suppleri possit. — atque in linea V „*de conv*[*entu civi*]*um Ro* . . .“ supplendum esse, non dubium. id est spatium fere VIII litterarum patet inter fragmenta servata. in lin. II, cum in lin. III nominativus *multi* et *qui* inveniatur, „*s*“ littera ad nominativum pertinet. itaque [*municipe*]*s* supplendum, ad *marit*[. . . utrum *im* an *imar* addendum sit, haereas. itaque X vel XII litterae supplendae sunt. — lin. III non minus certe suppleri potest, cum a ceteris municipibus ordo distinguatur aliquis, id est decurionum ordo. — cum verba *de conv*[. . .] *εἰσϑέσει* scripta sint, idem spatium quod ante haec verba vacat in sinistra parte, etiam in dextra vacasse sequitur. id est inde a fine verborum [*civi*]*um Ro*[*manorum*] spatium vacabat certe usque ad a. fortasse amplius vel potius certum est amplius spatium vacasse, cum in sinistra parte titulus mutilus sit. — cum dextrum latus mutilum sit, non recte in Corpore I. Latin. in lin. II *muni* // in initio lin. III *cipii* scribitur. sed ex eo quod ex eisthesi formulae *de conventu civium Romanorum* modo monstravi in dextro latere magnam partem deesse, sequitur de fine linearum

1) conferatur delineatio supplementaque.

Digitized by Google

nil enucleari posse. nec minus, quot litterae in sinistra parte desint, scimus. certe plus tribus, cum in linea II *pro* supplendum sit, nam vocabula non abrumpuntur fine lineae. — in linea IV [*civib*]*us* certum est, nec minus *muni*[*cipii*]; incertum, utrum inter duo vocabula *et* fuerit, necne. — certum est commemorari in titulo conventum in oppido Latino. ultro progredi nolim. conferenda sunt alia supplementa in Corpore I. Latin. temptata. sane vehementer desiderarem plura investigare de ratione, quae inter hunc conventum et cetera quae nominantur genera intercesserit, nisi misella fragmenta inspicienti ne desiderii quidem potestas relinqueretur.

conventus civitatis Gallicae civitate Latina donatae qui non minus conventus civitatis Latinae sunt quam conventus in municipio Latino consistentium civium R., suo capite tractabo cum suam classem efficiant mediam inter conventus Latinae et peregrinae civitatis.

Chisiduone (provinc. procons.) CIL VIII, 1269: *T. Flavio T. fil. Quir. Gallico, proc. Aug. prov. Afric. tract*(*us*) *Kart., praef. classis F*||||| (multa desunt; in fine:) *decu*[*rio*]*nes C. R. et* [*muni*]*cipes* [*C*]*hisiduenses.*

„*decuriones cives Romani*“ difficile est ad interpretandum. possunt significati esse ii, qui decurionatu functi ex iure „maioris Latii“ (Gaius I, 96)[1]) civitatem adepti sint, quam interpretationem Mommsenius probare videtur in Indice Corporis VIII Gaianum locum cum hoc titulo comparans. — aliud cogitari potest hoc, „dec. C. R.“ esse decuriones e „civibus Romanis“ id est e conventu municipii lectos. nam saepius ordo e diversis generibus, si quae sunt in civitate, componitur. ex. g. conferas „curial(i) veter(um) Par(entinorum)“, C. V, 335; „decurio adlectus ex veterib(us) Nolanis“ (C. X, p. 142); „decuriones Arretinorum veterum“ (C. XI, 1849). (conferas titulum Apamenum consecratum a quinque civibus Romanis qui primi [e conventu] magistratu Apameno functi erant. v. infra.) — sufficit, constare de collegio aliquo civium R. in oppido Latino. — C. Rom. conventus oppidi Latini consentaneo incolarum personam sustinent non minus atque in Graecis civitatibus. in legis Malacitanae rubrica LIII iubetur qui comitia habebit: „ex curiis ducito unam, in qua incolae qui cives R. Latinive

1) „. . maius est Latium, cum et hi qui decuriones leguntur . . civitatem Romanam consequuntur . .“

Digitized by Google

cives erunt suffragium ferant eisque in ea curia suffragii latio esto“. — inde autem, quod munera et personam incolarum omnium sustinent etiam incolentes cives R., non sequitur cives R. commixtos fuisse cum ceteris incolis; sed, ut in urbibus Graecis, sic in Latinis vix dubium, quin cives R. incolae a ceteris incolis fuerint distincti. — Korn. (p. 23) negat conventus in oppidis L. fuisse cum aliis de causis tum propterea quod „mira ratio“ fuerit inter cives R. consistentes et Latinos civitate donatos et Latinos cives, cum Latini civitate donati aut extra conventum manere aut simul conventui adscribi simul manere cives Latini debuerint. at si Korn. vidisset conventum C. R. esse rem publicam a civibus R. incolentibus constitutam, intellexisset Latinos civitate donatos, cum cives Latini simul essent, id est non incolerent, non ad conventum accessisse. sed Ko. conventus constitui putat ad privilegia defendenda. vellem meminisset conventus vicanos, cum non in urbe peregrini iuris incolant, id est non propter privilegia civitatis Romanae se a peregrinis distinguere potuerint, non minus et re vera magis quam intra civitatem qui sunt conventus esse.

iam ad conventus civitatis quasi municipalis (imprimis Graecae) transeamus. — Massiliam tertio p. Ch. saeculo a duumviris rectam fuisse e titulo Nicaeensi (V, 7914) perspicitur in quo „II vir Massil(iae)“ invenitur. (conf. Hirschfeldium in „studiis Gallicis“ quae sunt in relationibus academiae Vindobon. 1883 p. 284). iam sub Marco et Vero „augur perpetuus“ in titulo Massiliensi cum nominetur (XII, 410) terminus ille, ante quem urbs Graeca municipalem formam induisse putanda est, promovetur. terminus, post quem Massilia amiserit Graecam rem publicam, est Strabo, institutorum Massiliensium laudator (pag. 179 Casaub.). usque ad Vespasiani aevum rem publicam Graecam durasse Plinius probare videtur qui Massiliam „foederatam Graecorum“ dicit (N. H. III § 35) et qui, ceterum commentariorum Vipsanii Agrippae enarrator, tamen, si status urbis alicuius post Agrippam ante sua tempora mutatus est, mutatum statum enarrare solet. haec praemisi, ut quae ante Vespasianum Massiliae deprehenduntur vestigia Romana ad conventum C. R. pertinere sciatur. atque anno 18/19 post Ch. dedicant titulum Germanico Caesari Ti. filio: „*magistri Larum Aug*[*ust*] (C. XII, 406). infra exposui talia collegia magistrorum (imprimis Augusti cultorum) referenda videri ad rem sacram nego-

Digitized by Google

tiatorum R. sic Byzantii seviri Augustales inveniuntur, sic Italici cleruchiae Atheniensis Deliacae incolae habent sex magistros (Mercurii) = Ἑρμαιστάς. hi magistri sacra faciunt, templi curatores sunt, non praesunt conventui; praeest: vel magisterium vel curator. haec altera pars administrationis Massiliae nondum inventast. — conventus in Africae urbibus pluribus inveniuntur. Poenorum urbes pro urbibus eiusdem ac populi Romani urbes rationis habebantur, ita ut qui e. g. Uticae universitatem habent cives R. vel Italici intra civitatem Uticensem consistant.[1]) — de Uticensi conventu non pauca narrantur a scriptoribus belli civilis a. 46 Africam occupantis. quid singuli tradiderint, comparare ad rationem huiuscemodi conventus cognoscendam utile erit. — negotiatorum magna multitudo iam bello Iugurthino Uticae degebat (Sallust. Iug. 64). — apud auctorem b. Africani haec narrantur in cap. 88: *„complures interim ex fuga (Thapsitanae pugnae) Uticam perveniunt (Plutarchus ἱππεῖς eos fuisse tradit) quos omnes Cato (qui Uticam occupavit) convocatos una cum CCC qui pecuniam Scipioni ad bellum faciendum contulerant*[2]*), hortatur, ut servitia manu mitterent (at equites profugi servos non habent, servos habent trecenti illi [negotiatores], rectius Plutarchus haec distinguit) oppidumque defenderent. quorum cum partem adsentire partem animum mentemque perterritam atque in fugam destinatam habere intellexisset amplius de ea re agere destitit navesque iis attribuit.“* — cap. 90: *„postero die mane in oppidum introiit (Caesar) contioneque advocata Uticenses incolas (Poenos dicit cives Uticenses, „incolae“ vocabulum abusive detorquens) cohortatus gratias pro eorum erga se studio agit, cives autem Romanos negotiatores et eos, qui inter CCC pecunias contulerant Varo et Scipioni, multis verbis accusatos et de eorum sceleribus longiore habita oratione ad extremum, ut sine metu prodirent, edicit; se eis dumtaxat vitam concessurum, bona quidem eorum se venditurum, ita tamen, qui eorum ipse sua bona redemisset, se bonorum venditionem inducturum et pecuniam multae nomine relaturum ...“* deinde narrat illos negotiatores et trecentos laetos vita condonata petisse, „ut universis CCC uno nomine pecuniam imperaret“, imperat Caesar miliens sestertium ut per triennium

---

1) de urbibus Poenorum conferas Kuhnium „constitut. municipalis imp. R.“ II p. 446 sq. 2) hoc solus auct. b. Afr. narrat.

Digitized by Google

sex pensionibus populo Romano solverent. — Appianus (*ἐμφυλ.* II 95) refert de Caesare: *καὶ πυθόμενος Κάτωνα μὲν τὴν παρασκευὴν τοῦ πολέμου ναυσὶ καὶ πεζῶν τινι μέρει φρουρεῖν μετὰ τῶν τριακοσίων οὓς ἀπὸ σφῶν ἐκ πολλοῦ προβούλους ἐπεποίηντο* (*οἱ Ἰτυκαῖοι* scilicet) *τοῦ πολέμου καὶ σύγκλητον ἐκάλουν*... — cap. 100 (Caesar) *Ἰτυκαίοις δὲ καὶ τῷ Κάτωνος υἱῷ συνεγίγνωσκε.* — Plutarchus (Cato minor 59): *ἅμα δ' ἡμέρᾳ τοὺς τριακοσίους, οἷς ἐχρῆτο βουλῇ*[1]) (Cato), *Ῥωμαίους μὲν ὄντας ἐν δὲ Λιβύῃ πραγματευομένους ἀπὸ ἐμπορίας καὶ δανεισμῶν εἰς ἱερὸν Διὸς ἐκήρυττε συνιέναι καὶ ὅσοι παρῆσαν ἀπὸ συγκλήτου καὶ παῖδας αὐτῶν* (senatorum). senatores deinde servitia manumittunt, recusant negotiatores „*ἅτε δὴ πλωτικοὶ καὶ δανειστικοὶ ἄνθρωποι καὶ τὸ πλεῖστον ἐν τοῖς οἰκέταις τῆς οὐσίας ἔχοντες.*“[2]) — cap. 62: *ὁ δὲ Κάτων ὑπονοῶν τὴν μεταβολὴν* (trecentorum) *οὐκ ἤλεγχε, τῷ μέντοι Σκηπίωνι καὶ τῷ Ἰόβᾳ γράψας, ἀπέχεσθαι τῆς Ἰτύκης, ἀπιστίᾳ τῶν τριακοσίων ἐξέπεμψε τοὺς γραμματοφόρους*... interim adveniunt equites profugi ex pugna, his arcessitis Cato oppidum occupat, sed a trecentis perterritis commovetur „ut omnino eorum fidei se permittat“ (64). iam cum Caesar appropinquet, dimittit senatores, monet Uticenses ne Caesaris iram adversus trecentos augeant, ipse ad mortem properat. — auctores imprimis (alias discrepantias non curo) de „trecentis“ illis dissentire videntur. auctori B. A. electi sunt e negotiatoribus Uticae degentibus. hoc etsi non ipse dicit elucet tamen ex his: primum pecunia, qua imposita conventus poenas luit, imponitur petente conventu trecentis (cap. 90), deinde ad bellum pecuniam conferre solent provinciales cives R.; hoc non quadrat ad senatores cum Pompeianis ducibus in Africam profectos. si auctor B. A. distinguit „cives Romanos negotiatores et eos qui inter CCC pecunias contulerant“ talia saepius inveniuntur (conferas Vellei II, 110; Ciceronis pro Fonteio „referta Gallia negotiatorum est, plena civium Ro-

---

1) 63: *ἀπεκρίνατο βουλεύσεσθαι μετὰ τῶν τριακοσίων.*
2) Plut. dicit Catonem non ipsum auctorem fuisse illis servitia manumittendi sed suadenti alii illud adstipulasse. re vera id quod auctor b. Afr. tradit (cf. cap. 36) Catonem coegisse illos servos manumittere (cap. 88) etiam in Plutarchi fonte fuit, nam Plut. ipse non negat Catonem vehementer recusantes increpasse. sed condonemus philosopho Catonem *περὶ τοῦ νομίμου καὶ δικαίου* (cap. 60) manumissionis dubitantem!

Digitized by Google

manorum“). — consentit Appiani fons. nam illud ἀπὸ σφῶν (cap. 95), quod re vera non habet quo referatur, significat omnes qui Uticae partibus Pompeianorum favent, id est imprimis negotiantes. Appianus addit „σύγκλητον“ appellatos esse hos trecentos. idem Plutarchus narrat (οἷς ἐχρῆτο βουλῇ). auctor B. A. omittit illos CCC pro senatu Catoni fuisse, quia auctori Caesariano illi legitimus senatus non erant. narrat hos CCC pecuniam ad bellum contulisse; hoc deest apud Plutarchum (Appianum non curo, qui nimis brevis est) sed non erat quod commemoraret, apud quem trecenti illi tum tantum partes agant, si cum Catone rem habent. Plutarchus, licet, quod dubium est, auctorem B. A. adhibuerit, insuper alio fonte usus est; nam et senatum fuisse CCC et res inter CCC et Catonem et senatores (quos auctor B. A. non secus omittit) ex auctore B. A. haurire non potuit (ita ut negandum videatur quod Mo. censet [Hist. Rom. III^7, 408 not.] Plutarchum pendere ex auctore belli Africani). ita res se habuisse videntur: ad bellum faciendum CCC ditissimi e conventu Uticensi pecuniam contulerant Scipioni, his Cato cum Uticae praesidium agit pro consilio („senatu“) utitur (Plut. App.); Caesar his trecentis uno nomine pro conventu pecuniam imperat. — trecenti igitur illi non solum ad pecuniam conferendam se coniungunt, sed sunt Catoni consilium, Caesari universitas personae vice quae fungitur. quid fuerint, optime puto exprimi si dicis eos ordinem fuisse aliquem conventus, in quo ditissimus quisque inerat. de conventu Uticensi nihil compertum habemus; sed hoc insignis momenti est, hos electos personae vicem sustinere adversus Caesarem[1]) non secus ac decuriones municipales (Dig. III, 4, 7: in decurionibus vel aliis universitatibus nihil refert, utrum omnes idem maneant an pars maneat. . .)[2]). — auctor B. A. etiam conventus Thapsitanum et Hadrumetinum commemorat, quibus Caesar ut Uticensi pecuniam imperat, sed conventui, non ordini. — de bello civ. II 36 Caesar dicit *„conventus is* (de Uticensi dicit) *qui ex variis generibus*

---

1) „universitas“ est commune omnibus collegiis, nam collegium non uno consilio agens res suas nequit cogitari, „personam“ („corpus“) habere id est adversus rem publicam personae vicem sustinere permittitur SCo vel constitutione principali: hoc dicitur „quibus ex SC coire, cogi, convenire permissum est“ (conf. Salkowskyum, „lehre von der juristischen person“, Lipsiae 1863). 2) cf. Dig. L, 1, 25.

Digitized by Google

constaret." — quod non singulos cives R. iubet ad multam conferre pecuniam certam, sed conventui universo imponit summam Caesar, fit quia negotiatores illi universitas et persona sunt.

conventus C. R. in Asia.[1]) — quanta per Asiae urbes constiterit civium R. multitudo caedis Mithradaticae memoria monstrat. nec testimoniis opus est aliis. unum exemplum addam negotiationis Puteolanae: C. X, 1797, „*L. Calpurnio L. f. || Capitolino || C. Calpurnio L. f. || |||||||||||| || mercatores qui Alexandri(ai) Asiai Syriai negotiantu(r)* || — ad hunc titulum accedit basis in qua insculptae sunt imagines XII urbium Asiae, quas laesas terrae motu Tiberius pecunia adiuvit. hoc monumentum ab Augustalibus Puteolanis constitutum et a re publica Puteolana refectum est exemplar illius quod Romae Tiberio ob merita dedicatum erat (vide notas ad titulum) ab illis urbibus. — optime hoc titulo commercium inter Asiaticas urbes Puteolosque illustratur. nam Augustales sunt principes quasi negotiatorum. L. Calpurnius L. f. Capitolinus cum templum Augusto de suo fecerit[2]), quod Augustalium quasi munus est, inter Augustales numerandus est. ni omnia me fallunt L. et C. Calpurnii L. f. sunt magistri mercatorum Asiam negotiantium collegii. haec collegia negotiatorum Puteolis in Asiam aliasve in provincias negotiantium Puteolis ordinem negotiatorium efficiunt, cuius sacris funguntur Augustales. — vias ad Tralles urbem munitas esse a M' Aquilio 625/129, cuius operis plures tituli testes supersunt, negotiatorum R. causa, recte Cavedonius (in Annalibus schol. archaeolog. Rom. XII p. 187) vidit. — infra exposui conventus tam celebres per Asiae urbes effici a negotiatoribus qui in illis mercium cumulandarum causa constiterint, cumulatas vendituri in foro mer-

---

1) cum tractem conventus, (id est res publicas c. R.) pro testimoniis titulis utar solis. scriptores si cives R. consistentes commemorant, conventum eos habuisse non statim constat. e. g. Ephesii cives R. a Dione commemorantur, conventus Ephesi vix fuit. non me fugit universitatis testimonium certum ne e titulorum quidem omnium testimonio effici, sed eorum solum qui continent decretum conventus. e. g. de conventu Chio minime constat ex illo s. c. „*οἱ Ῥωμαῖοι . . τοῖς Χείων ὑπακούωσιν νόμοις*". sed licebit inter certa nonnulla incerta adsumere; ubi omnino fuerint c. R. congregationes, quaerere ut superfluumst, sic ei qui quaerit non scriptorum testimoniis acquiescendum est sed sciendum ubique fuisse cives R. 2) C. X, 1613

Digitized by Google

catorio qualia fuerunt Delus, Puteoli. — **Trallibus**: a) CIG 2930: [*τὸ φιλοσέβαστον σύ*]*στημα τῆς γερουσίας καὶ οἱ φιλοσέβαστοι νέοι καὶ οἱ ἐν Τράλλεσι Ῥωμαῖοι ἐτείμησαν Τιβ. Κλ. Πάννυχον Εὐτύχου Κοιβιλον* (?) *στρατηγήσαντα τὴν νυκτερινὴν στρατηγίαν, δεκαπρωτεύσαντα, ἀγορανομήσαντα, ἐκδανείσαντα, κουρατορεύσαντα τῶν Ῥωμαίων, σειτωνήσαντα ἀπὸ Αἰγύπτου κ. τ. λ.* — b) CIG 2927: ... *καὶ οἱ ἐν Τράλλεσι κ*]*α*[*τ*]*οι*[*κοῦν*]*τες Ῥωμαῖοι κ. τ. λ.* — c) ... *γραμματεύσαντα καὶ τῆς φιλοσεβάστων γερουσίας καὶ τῶν φιλοσεβάστων νέων καὶ τῶν Ῥωμαίων* (papers of the American school I p. 108). — d) CIL III, 444:

[*imp. caes. Traia*]*nus Hadrianus.*
[ ]*Trallibus consisten*[*tibus*].
[*per* ..]*ntinianum leg*(*atum*).
[ ]*quid desiderar*[*ent*]

non dubium, quin agatur de civibus R. — e) bullet. de corresp. hellénique V p. 347 *οἱ ἐν Τράλλεσι* [*κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι*]. — Tralles terrae motu afflictas ab Augusto adiutas esse traditur (Strab. p. 579 Casaub.). — Agathias, saeculi VI auctor, *ἀποικίαν* eam appellat additque „*νῦν οὖν οἱ ἐκείνῃ ἀστοὶ Πελαργοὶ* (conf. Strab. p. 649) *μὲν οὐκέτι ἂν δικαίως κληθεῖεν Ῥωμαῖοι δὲ μᾶλλον*“ accedit quod Tralles nomen Augusti suscepit et in nummis passim *Τραλλιανῶν* passim *Τραλλιανῶν Καισαρέων* invenitur (Mionnet. IV p. 185). — imago imperatoris Romani prima Augusti in nummis invenitur. illud Agathiae testimonium de *ἀποικίᾳ* cum nomine Caesareorum et Strabonis de beneficiis ab Augusto Trallensibus illatis viri docti coniunxerunt ita, ut dicerent, ab Augusto coloniam Tralles deductam esse. at desunt coloniae deductae omnino testimonia (nam de Agathia licet tacere); nomen principis de se meriti multae acceperunt urbes nec est cognomentum tale coloniae deductae testis: *Ἰουλιέων Ἀγκυρανῶν* (Mionneti IV p. 222), *Εὐσέβεια Καισάρεια* (p. 408), Sardes (p. 122), quarum urbium nulla colonia est vel iam ante coloniae ius acceptum nomen istud gerit (ut Eusebia)[1]. „colonia“ igitur „civium R.“ Tralles non est. sed viden-

1) Mommseni nota ad tit. CIL. IX 285 (in quo Symphoros Antiochi, Caesareus Trallianos) quasi in hoc titulo primum cognomen illud inveniatur, nummis collatis cadit. conferas etiam papers I p. 94 „*ἡ λαμπροτάτη Καισαρέων Τραλλιανῶν πόλις*“.

Digitized by Google

tur coloni missi esse, coloniae C. R. iure non simul addito, nam CIG II, 2923 qui commemorantur Augusto conditori gratias agentes ἐγγενέες Böckhius probavit esse veteres Trallianos eo vocabulo a colonis Romanis distinctos[1]). coloni sine coloniae iure deducti saepius inveniuntur (v. finem libri). — cives R. Trallibus iam Cicero commemorat pro Flacco dicens (§ 71). — ad conventum pertinet ἡ συνεργασία τῶν κυρτοβόλων .. κατὰ τὸ ψήφισμα, ταμιευόντων Σεουήρου καὶ Ὀνησίμου (Musei Rhen. vol. XXVII p. 467) nam et collegia opificum et quaestores collegii Romana res sunt (vide infra). — habebant cives R. Trallibus curatorem et scribam (iam hoc redarguit coloniae coniecturam). de his ceterisque, quae ad conventum pertinentia e titulis discuntur, ad singulos titulos breviter monebo, componam omnem materiam suo capite (v. infra). — in Caria: Priene: CIG 2906: laudatur quidam quia ἐπηγγείλατο . . . ἀλείψειν δι' ἐνιαυτοῦ πολίτας ἅπαντας καὶ τοὺς ἐφηβευκότας τῶν παροίκων καὶ [Ῥω]μαίων ἅπαντας .... — videmus primum, cives R. non inter παροίκους numerari sed mediam condicionem tenuisse inter incolas ceteros et cives, deinde, participes eos fieri pro hac condicione omnes (ceterorum tantum ἐφηβευκότες) munificentiae. — Sami quod fuit collegium civium R. fortasse vicanus conventus erat (v. infra). — in titulis ad Hecateum Laginae positis, qui ut Prienenses laudant dona civitati data, inter classes quae participes erant donorum, sunt cives R. — a) [ἑκάστωι τῶν πολι]τῶν καὶ Ῥωμαίων ἔδωκεν ἀνὰ [δ]ραχμὰς πέντε[.. — (bullet. de corresp. XI p. 146; V, 191). — b) tres drachmas dedit sacerdos Hecatae dividendas natali die suo: Ῥωμέοις καὶ ξείνοις πλείστοις καὶ [πολίταις?] (l. l. XI, 147). — c) .. ἐν τοῖς γενεθλίο[ις . . . ἔδωκε [ἑκάστωι] τῶν Ῥωμαίων καὶ ξένων ἀνὰ δραχμὰς π[έντε] κ. τ. λ. (l. l. 149). — d) cives R. non distingui videntur: (ἔδωκε) τῶν τε πολιτῶν ἑκάστῳ ἀνὰ δρ(αχμὰς) δέκα καὶ βουλευταῖς χ ἀνὰ δραχμὰς ἕξ μυρίας [τοῖς δ]ὲ ἄλλοις [ἔτι] τοῖς κατοικοῦσιν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἀνὰ δραχμάς ///////// (arch. epigr. mitteil. VI p. 164). — e) bulletin V, 191; XI, 146 distinguuntur Ῥωμαῖοι et πάροικοι. — ut Priene a παροίκοις Laginae a

---

1) addo quod in edicto Ti. Alex. lin. 33 (Marqu. administ. imp. R. I² p. 455 not. 7) distinguuntur ἐγγενεῖς Ἀλεξανδρεῖς καὶ ἐν τῇ πόλει διὰ φιλεργίαν κατοικοῦντες.

Digitized by Google

ξένοις (vel *παροίκοις*) separatum incolatum habebant cives R. titulus (b) est conferendus cum Prienensi condicione „*ξένους τοὺς ἐφηβευκότας*". — in Laginensibus titulis multi inveniuntur Graeci civitate R. donati, tribu Quirina (conf. staatsrecht III, 785). distinguuntur hi homines ita ut Romano nomini addant Graecum nomen prius pro cognomine: *Γάιον Λικίννιον Γαίου Λικιννίου υἱὸν, Σεργίᾳ, Ῥωμαῖον καὶ Οἰνοανδέα . . . ἔκγονον Γαίου Λικιννίου Θόα[ντ]ος* . . (Benndorfii iter II p. 79); solent qui ab homine civitate donato descendunt hoc cognomen abicere. — „*Ῥωμαῖος*" in Lyciis titulis solet addi, ceterum raro additur.[1]) — hos Graecos civitate auctos non ad conventum pertinere monstravi infra. — (cives R. Cauni consistentes in historia caedis Mithradaticae commemorantur: Appian. 23). — in Lydia Chii qui sint cives R. iubentur senatus consulto illo (CIG 2222)[2]) Chiorum legibus parere: *οἵ τε παρ' αὐτοῖς ὄντες Ῥω[μαῖο]ι τοῖς Χείων ὑπακούωσιν νόμοις* . . . Tei rep.: bull. de corresp. hell. IV p. 179: . . . *χρησ]τὲ χαῖρε // ὁ δῆμος [Τ]ηί[ων]; ὁ δῆμος ὁ // Λεβεδίων; οἱ [ν]έοι; ὁ δῆμος Κλαζομενίων // οἱ Ῥωμαῖοι // κ.τ.λ.* conventus ad Teiorum rem publicam pertinere videtur; ne credas eum pertinere ad universitatem (*συμπολίτευμα*) ab illis vicinis civitatibus effectum. *συμπολίτευμα* non habent, cum singuli *δῆμοι* nominentur. — Erythris. Lebas-Waddington n. 50. *χαῖρε* subscriptum est, coronis inclusae leguntur universitates hae: *ὁ δῆμος; οἱ Ῥωμαῖοι.*[3]) — Thyatirae. bulletin X, 422: *οἱ σκυτοτόμοι ἐτείμησαν Τ. Φλάβιον Μητροφάνους υἱὸν Κυρείνᾳ Ἀλέξανδρον, ἀγορανομήσαντα ἑξάμηνον εὐτόνως καὶ πολυδαπάνως, κουρατορεύσαντα τοῦ τῶν Ῥωμαίων κονβέντου . . κ. τ. λ.* nomen a Flaviis sumptum tituli aetatem fere definit. discimus haec: ergo Graeci civitate donati magistratu fungi poterant conventus; in hoc solo titulo Graecae civitatis vocabulum conventus adhibetur. in Tralliano titulo idem magistratus dicitur „*κουρατορεύσας τῶν Ῥωμαίων*". scilicet quod municipiis C. R. proprium est nominum certa norma, deest con-

---

1) conferas journal of Hell. studies X p. 58. imprimis Benndorfii relationem. 2) Viereck n. XXVII. 3) saeculi II ante Ch. esse videtur Erythraeus titulus hic: *ὁ δῆμος Μάρκον Κοσκώνιον Γαίου υἱὸν, Ῥωμαῖον, ἀρετῆς ἕνεκεν* (bulletin IV p. 156). „*Ῥωμαῖος*" non nisi in antiquioribus titulis nomini civis R. negotiantis in civitate Graeca additur ut in Rheneae insulae cippis sepulcralibus.

Digitized by Google

ventui. curator C. R. (sic dicitur latine)[1]) ut Trallianus Graecus est honoribus suae civitatis ornatus. — Ephesii conventus testimonium deest adhuc. nam titulus (Inscript. Musei Britann. III, 2 p. 172): *τὴν πρώτην καὶ] μεγίστη[ν μητρόπολιν // τῆς Ἀσίας κα]ὶ δὶς νεοκόρον [τῶν Σεβασ//τῶν: οἱ κατὰ τὴ]ν Ἀσίαν οἰκοῦ[ντες Ῥωμαῖοι* // . . . ad provinciales conventus vel concilia pertinet (v. infra). titulus (Lebas-Wadd. I, 143), in quo: *οἱ κ[ατοικοῦντες // Ῥωμαῖ]οι*, incertus est; potest *οἱ κ[ατὰ τὴν Ἀσίαν // Ῥωμαῖ]οι* legi. — Augustus civibus R. Ephesi consistentibus permisit Divi Iulii et Deae Romae cultum [Dio Cassius LI, 20: *καὶ τούτους* (quae dixi numina) *τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς παρ᾽ αὐτοῖς* (Ephesios) *ἐποικοῦσι τιμᾶν προσέταξεν*]; hunc cultum conventus Ephesius, si fuit, putandus est non aliter exercuisse quam exercebant Augusti (sive alius numinis) cultum negotiatores alii, scilicet ita, ut collegium sive „magistri" divi Iulii et Deae Romae instituti pro conventu susciperent colenda illa numina. — novimus Ephesi compluria civium R. genera (vide infra). Ephesi erat sedes et quasi caput societatis publicanorum Asiae iam Ciceronis temporibus. sub Pio invenimus (Britann. Musei III, 2 p. 167) „conductores publici piscatus": . . *τοὺς ἐπὶ τὸ τελώνιον τῆς ἰχθυικῆς πραγματευομένους* . .: dedicatur *τῇ Ἐφεσίων πόλει* et collegio isti. videlicet in conventu singula genera suum corpus habebant (vide infra). — cives R. e conventu honorantur in titulo (apud Woodium nr. 9): *Τιβέριον Κλαύδιον Σεκοῦνδον, βιάτορα τριβουνίκιον, ἀκκῆνσον οὐηλᾶτον, λείκτορα κουριᾶτον, φιλεφέσιον* (*σὺν*) *καὶ ἄλλοις ἐπισήμοις Ῥωμαίοις ἐκόσμησαν . . . Ἐφεσίων πολῖται*. — in Phrygia: Traianopoli[2]) CIG 3874 (et in ephemeride infra laudata) . . .] *καὶ οἱ κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι ἐτείμησαν κ. τ. λ.* — in vico Usuftcha: *ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγματευόμενοι ἐνταῦθα Ῥο[μαῖ]οι* (papers II p. 37 [ex Sterretii itinere]). — Nai: journ. of Hell. stud. IV, 433: an. 88 Domitiano: *οἱ ἐν Νάει κατοικοῦντες Ῥωμαῖοί τε καὶ* . . . — oppidulum nusquam commemoratur.

Apamea Ciboti[3]): 1) *ὁ δῆμος καὶ οἱ κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι ἐτείμησαν Μύταν Διοκλέους, ἱερέα Ῥώμης κ.τ.λ.*

---

1) vide infra 2) titulus repertus est ad vicum Ushak, quem in territorio veteris Traianopolis situm esse expositumst: Journal of Hell. studies VIII p. 512. 3) mitteilungen des deut. arch. inst. zu Athen XVI p. 148.

Digitized by Google

— 2) ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι[1]).. eadem formula etiam 3) p. 30 laudatae infra ephemeridis. — 4) [*cives Romani* // *qui Apameae* // *negotiantur* // *h. c.* (Lebas-W. III, 746; CIL III, 365). — supplementum certum est cum Graeci sermone Latino non utantur. de usu sermonis Latini aut Graeci in titulis conventuum disputavi infra. nuperrime accesserunt duo tituli qui inveniuntur in commentario supra laudato Mommsenii (eph. ep. VII fasc. 4). alter (5) decretum Apamenorum de summa ita collocanda continet (p. 454): *ὥστε .. σώζειν τόκον δραχμιαῖον εἰς τὸ τῶν κουρατόρων ἐπιζήμιον τὸ κατὰ ἔτος ὑπ᾽ αὐτῶν διδόμενον, ὥστε τοῦ λοιποῦ χρόνου μηκέτι εἶναι κουράτορας καθὼς ἡ πόλις ἐψήφιστο* ..... Mommsenii interpretatio haec est: usurarum illarum certam civitatem Apamenam iam non indigere multae a curatoribus (c. Rom.) quotannis adhuc solutae, ita ut curatores tollere decreverit. tituli difficillimi elegantiorem interpretationem vix inveniri posse, intelleget is quem non pigebit per aliquot dies verba ista arcana secum volvere. quidquid temptavi ad Mommsenii sententiam relapsus sum, nec tamen tacere possum haec: conventus, scilicet res publicas in rebus publicis, perodiosos fuisse civitatibus Graecis certum est. sed nescio quid magis cum Romani imperii arcanis consentiat quam conventuum quasi praesidio coercere libertatem Graecam. itaque curatores et conventum (nam res publica sine magistratibus nulla est) tollere civitatibus vix permissu senatus impetrato certe non sine permissu (id est decreto civitatis) concedi potuit[2]). — praeterea „*εἰς τὸ ἐπιζήμιον*“ vix potest significare, „ut superflua fiat multa a curatoribus quotannis soluta,“ sed ex communi usu Graecae linguae significare puto „*τόκος εἰς τὸ ἐπιζήμιον*“ „usura, quae erogetur (cf. *ἀναλοῦν εἰς*) ad multam (id est ad eam summam multae quae detractis curatorum annuis pensionibus restat) persolvendam“ (at id ipsum incertum est, quatenus usus vulgaris congruat cum usu huiuscemodi decretorum); ita ut civitas susceperit multam antea a curatoribus solutam. in hac versione puto subsistendum esse. — alter titulus (p. 442) hic est: „*δῆμον τῶν Ἀπαμέων καθιέρωσαν Λεύκιος*

---

1) Revue des études Grecques II p. 33. 2) insuper non video, qua ratione multa c o n v e n t u i imposita pro concesso corpore (Momms. l. l. 443) *τὸ τῶν κουρατόρων ἐπιζήμιον* appellari possit.

Digitized by Google

Μουνάτιος Λευκίου υἱοῦ (em: *υἱὸς*) *Καμιλία Τέρτιο*[*ς*] et quatuor alii cives R.: *ἄρξαντες ἐν τῷ λ. καὶ ρ. ἔτι* (= 46/5 ante Ch. si aera Sullana est) *Ῥωμαῖοι πρώτως, ἐκ τῶν ἰδίων ἀνέστησαν.*" Mommsenius hos V cives R. curatores C. R. esse censuit. „nam *ἄρξαντες* V tituli supra relati nullo modo ad ipsam Apamenorum rem publicam referri possunt cum sint cives R. omnes neque eiusmodi magistratus Apamenae rei publicae conveniat nec *πρώτως* ad hanc probabiliter referri possit (p. 443). minus adstipulari possum interpretationi, cum mihi videantur cives R. consecrare Apamenam civitatem quia (*ἄρξαντες* causale est) primi e civibus R. Apameae consistentibus honoribus (*ἀρχαί*) Apamenis functi sint (iure optimo incolatus, v. infra); ni fallor sic demum ratio consecrationis illius patet, minus intellegi posset cur curatores primi gratiam propter curaturae honorem referrent. — Laodiceae ad Lycum sitae[1]): *οἱ ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ῥωμαῖοι καὶ Ἕλληνες καὶ ὁ δῆμος ὁ Λαοδικέων ἐτείμησαν κ. τ. λ.* — *οἱ ἐ. τ. Ἀ. Ῥ. κ. Ἑλ.* concilium provinciale sunt (vide infra). — Prymnessi: CIL III 7043 (eph. epigr. IV, n. 125) Momms. restituit hunc in modum: [*in honorem?*] *L.*[*A*]*rrun*[*ti L. f. L. n.* // *L. pron.?*] *Pompei Magni ab*[*n. Scriboni* // *ani praef. urb*(*i*) *au*[*g* // .. *Prymness*(*enses*) *et c. R.* [*qui ibi* (?) *nego* // *tiantur cura* [*tore*[2]) // *C. Caecilio L. F. M* ..... // — *ὁ δῆμος καὶ ο*[*ἱ κατοικοῦν*//*τες Ῥωμαῖοι Λε*[*ύκιον Αρρούν*//*τιον Λευκίο*[*υ τρὶς?* // *Πομπηίου Μ*[*άγνου ἀπόγο*// *νον Σκριβων*[*ιανὸν ἔπαρ* // *χον Ῥώμ*[*ης*, *αὔγουρα* .... — hunc L. Arruntium videri filium esse consulis anni 32 p. Ch. (M. Furii Camilli Arruntii Scriboniani) Momms. probavit (eph. ep. l. l.). — Cibyrae: floruisse mercaturam quivis Horatii lector scit („ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas!") et supersunt haud pauci conventus tituli. — *α*) *ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγμα*//*τενόμενοι ἐνταῦθα Ῥωμ*[*αῖ*//*οι ἐτίμησαν Μίθρην Ευ* .... // *χρυσῶι στεφάνωι τιμίοις* //////// // *καὶ εἰκό*[*νι* ... (Lebas V, 1218; papers II p. 37; journal of Hell. stud. 8 p. 234). *β*) eiusdem formae est titulus (bulletin de corr. hell. XIII p. 333) in honorem Astraniae positus nec non bull. de corr. hell. 1891 p. 554[3]). *γ*) bulletin II p. 598: *ὁ δῆμο*[*ς κα*]*ὶ οἱ πραγμα* // *τενόμενοι*

---

1) mitteilungen XVI p. 145. 2) comparato titulo Cyziceno „curator" non CVRA [m agente] restituendum mihi videtur. 3) etiam titulus bulletin II p. 599 hanc formulam continet. editor Francogallus

Digitized by Google

‛Ρωμαῖοι ἐ[τεί//μη]σαν κ. τ. λ. — in Mysia. Pergami[1]): „ὁ δῆμος καὶ οἱ κατοικοῦντες ‛Ρωμαῖοι" Augusto consecrant aedificium. — Augusti aevi rari sunt tituli conventuum. Pergameni cives R. in caede Mithradatica commemorantur. — Lampsacenos cives R. Cicero in Verrina I § 69 nominat. — haud paucos titulos conventus Assii habemus. — *α*) papers I p. 56: ἐπειδὴ δεδόχθαι

---

cum aliam et, si scripta fuisset, permiram formulam suppleritt, titulus totus perscribendus est.

* * * * * * * * 0
ΑΙ ΟΙ ΕΝΤΑΥΘΑ 1
ΝΟΙ ΡΩ 2
ΟΙ Ε[τ]*ΕΙΜΗ*[σ]*ΑΝ ΑΠΟΛ* 3
ΛΩ[νιον . . . . . .]*ΥΙΟ*[ν] 4
[χρυσῶι στεφάνωι . . . . .]
vacat linea
. . . . *ΙΟΣ ΚΑΙ ΠΟΛΥΔΕΥΚΗΣ* 5
ΑΠΟΛΛΩΝΙΩ ΤΩ ΠΑΤΡΙ 6
ΜΝΗΜΗΣ ΕΝΕΚΕΝ 7

editor supplet haec:

[ὁ δῆμος καὶ οἱ πολιτευό] 0
μενοι ‛Ρωμ]*ΑΙΟΙ ΕΝΤΑΥΘΑ* 1
καὶ οἱ πραγματευόμε]*ΝΟΙ ΡΩ*[μαῖ- 2
ΟΙ Ε[τ]*ΕΙΜΗ*[σ]*ΑΝ ΑΠΟΛ-* 3
et quae sequuntur.

quamquam ne verbum quidem addit, lineam antecedere (0) ei lineae, quae prima servata partim est, significare videtur editor cum lineam totam in initio suppleat [ὁ δῆμος καὶ οἱ πολιτευο]. — sinistrum latus integrum esse perspicitur e lineae III et IV commissura (cf. V—VI). itaque ad lineam secundam restituendam fere supra litteras *ΟΙ* lineae III incipiendumst. supplementum editoris [καὶ οἱ πραγματευόμε]*ΝΟΙ* quadrat. — lineae I litteras *ΑΙ ΟΙ* interpretatur esse reliquias vocabuli [‛Ρωμ]*ΑΙΟΙ*, iam, si hoc recte coniecisset, lineae reliqua pars vix aliter ac fecit restitui potest, nec minus linea 0 necessario supplenda erat, ut verbi altera pars scribi possit. — at tota formula quae iam enucleata est, tam insulsa est, ut appareat, quia litteras *ΑΙΟΙ* ad ‛Ρωμ[αῖοι] supplendas esse putarit, lineam 0 finxisse editorem. qua de causa insulsa sit formula ne quid desideretur, haec est: primum, οἱ πολιτευόμενοι ‛Ρωμαῖοι ἐνταῦθα positio nec scribi potuit nec invenitur in tot titulis huius generis. — deinde vellem non celasset nos, quae illae fuerint duae classes ‛Ρωμαῖοι πολιτευόμενοι et πραγματευόμενοι. qualis distinctio tam insulsa est quam nulla invenitur usquam. — apparet iam e ceteris Cibyraticis titulis supplere debuisse editorem

[ὁ δῆμος κ]*ΑΙ ΟΙ ΕΝΤΑΥΘΑ*
[πραγματευόμε]*ΝΟΙ ΡΩ*[μαῖ-
ΟΙ Ε[τ]*ΕΙΜΗ*[σ]*ΑΝ ΑΠΟΛ-*
et quae sequuntur.

1) Jahresbericht der Kgl. Preuss. Kunstsammlungen III (1882) p. 86. titulum debeo Kornemannio.

Digitized by Google

τῇ [βουλῇ καὶ τῷ δ]ήμῳ καὶ τοῖς πραγματευομ[ένοις παρ' ἡμῖν? Ῥ]ωμαίοις ἐπῃνῆσθαι κ. τ. λ. Τιβέριον Κλαύδιον Νείκασιν, πράκτορα (Tiberiani aevi vel posterioris hoc nomen testimonium est). — in hoc decreto (cf. δ.) primum invenimus conventum decreti civitatis participem esse, cuius rationis praeter Assia decreta testimonia alia desunt. — β) l. l. p. 46, γ) 45, δ) 33, ε) 32, eiusdem formae. ζ) conventus solus honorat personam (p. 45). nullum fere de conventibus civitatis Graecae testimonium tanti momenti est quam iusiurandum a civitate Assiorum nec non a conventu Gaio Caesari anno 37 missum. — η) l. l. p. 50 (eph. epigr. V p. 155): Ψήφισμα Ἀσσίων: γνώμη τοῦ δήμου: ἐπεὶ ἡ κατ' εὐχὴν πᾶσιν ἀνθρώποις ἐλπισθεῖσα Γαίου Καίσαρος Γερμανικοῦ Σεβαστοῦ ἡγεμονία κατήγγελται κ. τ. λ.: ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τοῖς πραγματευομένοις παρ' ἡμῖν Ῥωμαίοις καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀσσίων κατασταθῆναι πρεσβείαν ἐκ τῶν πρώτων καὶ ἀρίστων Ῥωμαίων τε καὶ Ἑλλήνων κ. τ. λ. — sequitur „Ὅρκος Ἀσσίων" et iurisiurandi formula, deinde: πρεσβευταὶ ἐπηγγείλαντο ἐκ τῶν ἰδίων: Γάιος Οὐάριος Γαίου υἱὸς Οὐολτινίᾳ Κάστος sequuntur quatuor Graeci. — quod senatus et conventus antecedunt, sequitur populus, non norma ratioque est, cum in titulis supra scriptis decretorum alia sit forma; nec minus quia inter V legatos unus Romanus est licet putare consilio hanc proportionem electam esse; nam αὐτεπάγγελτοι sunt legati ad Gaium. conicias tamen conventui placuisse, curatori C. R. suam personam sustinendam mandare. — Ilii: Lebas-W. 1743 n:

ὁ δῆμος ὁ Δαρδανίων;	ὁ δῆμος ὁ Ἀβιδηνῶν;	οἱ σκηνεῖ-τα(ι) καὶ ἐργασ[ταί];
	Ῥωμαῖοι οἱ ἐν Εἰλίῳ.	

singulae universitates coronis inclusae seiunguntur. — populus Iliacus non nominatur. cum praeterea Strabo (p. 593 sq.) Ilium κώμην appellet, crediderit aliquis defuisse rem publicam Iliis (ita ut conventus vicanus fuerit); at, licet perexigua fuerit civitas, rem publicam ex Romana interpretatione habuit Plinio teste (V § 124). praeterea Ilii nummos cuderunt per totum principatus spatium (Mionnet II p. 660 sq.). — Liebenamius p. 157[1]) et Korne-

1) Drei Untersuchungen zum Röm. Vereinswesen (1890).

Digitized by Google

mannus ignoro qua de causa scribant „*οἱ σκηνεῖται καὶ ἐργασ[ταὶ οἱ] Ῥωμαῖοι οἱ ἐν Εἰλίῳ*". et coronam suam utrumque collegium habet et *οἱ* ante *Ῥωμαῖοι* supplementum est pro illo errore commissum. — Mytilenis: CIL III, 7160: *cives Romani qui Mytilenis negotiantur M. Titio L. f. procos. praef. classis cos. design. patrono, honoris causa.* — consul fuit M. Titius 723/31 atque titulus antiquissimus inter Asianos qui ad conventus pertinent est. — bull. d. corr. IV, 433 fortasse ad Methymnam pertinet. — in singulis coronis scriptum est 1) [*ὁ*] *δᾶμος καὶ οἱ Ῥωμαῖοι.* 2) *ὁ δ[ᾶμο]ς.* Mitteilungen XI p. 287: [*ὁ δᾶ*]*μος καὶ οἱ Ῥω*[*μαῖοι* // *κ. τ. λ.* — Cyzici: ephem. ep. IV p. 34: 1) consecrant divo Augusto, Ti. Augusto, imp. Claudio *ar*[*cum*] „*C. R. qui Cyzici* [*negotiantur* // *et Cyzi*[*ceni* // *curatore* .... // titulus positus est auctore conventu, cum opus faciendum curaverit curator (C. R.) et latine perscriptus sit titulus. conferas Prymnessensem lapidem. — 2) Mitteilung. VI p. 41: [*ὁ δῆμος*] *ὁ Κυζικηνῶ*[*ν καὶ οἱ πραγμα* // *τε*]*νόμενοι ἐν τῇ* [*πόλει Ῥωμαῖοι* // *Σέξτον Ἰούλιον*, [. . . *Κότυ*]*ος* // *δυναστοῦ Θρᾳ*[*κῶν* . . . *υἱ*]*ωνὸν κ. τ. λ.* — in hoc titulo consentaneo *γραμματεὺς* subscribitur. — in Lycaonia: Isaurae: 1) bull. de corresp. hell. XI p. 67: [*Ἰσαυ*]*ρέων ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος οἵ τε συμπολιτευόμενοι Ῥωμαῖοι κ. τ. λ.* — 2) p. 108. „*συμπολιτευόμενοι*" ut cetera verba „*κατοικοῦντες*" et alia, incolatum significare elucet.[1]) — in Pisidia: Conanae: papers III, 339: *αὐτοκράτορα Κα*]*ίσαρα Λ. Σεπτίμιον Σεουῆρο*[*ν* // *Περτίνακα*·] // . . . *ἡ*]*βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ* // *Ῥωμαῖοι*] ..... *κατ*[*οικοῦντες* . . . — in Suria: Antiochiae conventum Caesar commemorat (de bello civ. III, 102) qui cum Antiochensibus arcem occupat Pompeium exclusurus. quod ad adiacentes terras: cives R. Petrae Strabo (p. 799), Hierosolymae Iosephus (Antiquit. XIV, 5, 2), Ctesiphonte Dio Cassius (LXVIII, 30) commemorant. — in insula Cypro paucos negotiari cives etsi Cicero (ad Atticum V, 21) dicit, in duabus civitatibus conventum inveni-

---

1) Kor. (p. 45) conicit, seductus eo quod *συμπολίτευμα* est res publica a pluribus urbibus facta (*κοινόν*), cives R. cum Isauris unam rem publicam habuisse. qui hoc factum esse potuerit, explicat altera coniectura: „cives R. colonos Isauram deductos esse". sufficit monere, ne, dum coniecturas captamus, titulum et verba neglegamus; cum *Ἰσαυρέων βουλὴ καὶ δῆμος* nominetur, res publica fuit Isaurica, incolatum habebant cives R.

Digitized by Google

mus; et societatem publicanorum et negotiatores Caesar (de bell. civ. III, 103) nominat. — Salamine C. III, 6051: [*Veneri Paphiae*] *et deo* [*....*//*cives Rom*]*ani qui in Salam*[*ine*// *nego*]*tiantur sac*[*raverunt*[1]) .. //... *ino et L. Caeli*[*o* ... // — qui subscripti sunt magistratus consules non sunt, cum L. Caelius in fastis non inveniatur. sunt magistri conventus. — quod Kor. coniecit cives R. totius insulae conventum habuisse cuius Salamis conciliabulum fuerit (p. 68), primum neque talis conventus fieri potuit in provincia Graecis civitatibus operta[2]) nec fuit cum conventus Paphii testis supersit (qui Kornemannum fugit). — journal of Hellenic stud. IX p. 234:

[*Veneri Paphiae C. R. qui Pa*]*PHI NEGOTIANTVR* //
[*Ἀφροδίτηι*]*ΠΑΦΙΑΙ* //
[*οἱ ἐν*]*ΠΑΦΩΙ ΡΩΜΑΙΟΙ* //

— titulus[3]), in quo fortasse [C. R. in provi]ncia Cypro nominantur, pertinet ad civium R. provinciales coetus (de quibus egi infra). — in Creta Gortynae: eph. ep. VII p. 425: Septimio Severo Pertinaci cos. II (= 195 p. Chr.) dedicant „*C. R. Q*(*ui*) *G*(*ortynae*) *C*(*onsistunt*) *ex summa,* [*q*]*uam intulit pro decurionatu suo Fl. Titianus sacerdos designatus Divi Traiani, curante L. Naevio Exacesta sacerdote Divi Aug. et C. C. R. G. C.*“ — „c(onventus) C. R. G. c(onsistentium): legi non potest, nam „sacerdos Divi Augusti ET conventus C. R.“ ideo non potest dici quia „sacerdos Divi Aug.“ adeo ad unum vocabulum coaluit (= „sacerdos Augustalis“ sive „Augustalis“), ut nequeant a „sacerdos“ duo genetivi pendere. hoc monstrat etiam Hispaniensis titulus: „sacerdos perpetua Romae et Aug. conventus Brac. Aug.“ (Wilm. 2329). cum igitur ET non genetivum adnectat ad „Divi Aug.“, oportet adnexus esse ablativus ad „sacerdote“. non dubiumst quin legendum sit C(uratore). „curator civium Romanorum“ fere semper hoc compendio CCR scribitur (vide infra), nunquam conventus „C“. hoc fundamento interpretationis structo iam quaerendumst, utrum „civium R. Gortynae conss.“ etiam ad „sacerdote Divi Aug.“ an solum ad „c(uratore)“ pertineat. illud verum est. nam „sacerdos Divi Aug.“ absolute dictus esse

---

1) hoc, non sac(rum), puto scribendum esse. 2) Kor. si deliberasset alios oportere esse conventus in Raetia vicatim habitata, alios in provincia urbium plena, non nimius fuisset in statuendis hisce maioris territorii conventibus. 3) C. X, 3847.

Digitized by Google

non potest, cum „sacerd. D. A.“ si non ad conventum pertinet, pertinere oporteat ad oppidum C. R. vel ad provinciam Cretam. sed neque ad oppidum neque ad provinciam pertinere potest: nam oppidi nomen (Cnossus unica in Creta colonia est) additum esset, Cretae concilii sacerdos *Κρητάρχης* est (Marquardt. de administr. I² p. 515), ut semper Graecae populi R. provinciae qui cultu Augusti fungitur Graeco nomine appellatur. habuit igitur conventus Gortynius 1) sacerdotem D. A. 2) curatorem. 3) d e c u r i o n e s: Momms. „decurionatum“ [1]) ad civitatem Gortyniorum referendam putat (sequitur Mitteisius p. 150). hoc si verum esset, suo iure mirarentur viri docti illi, quod decurio Gortynius pecuniam pro decurionatu non in arcam civitatis sed in conventus intulerit! hanc contradictionem ut removeret Mommsenius sententiam mutavit (eph. ep. VII, 4 p. 442): „hoc autem incolas cives R. pro suo fastigio obtinuisse, ut ex summa ab uno suorum pro eo decurionatu i n a e r a r i u m c i v i t a t i s more solito inlata non res publica statuam collocaret, ut fieri debuit, sed ipsi eum honorem imperatori offerrent.“ sic certe illa difficultas egregie vitatur. tamen dubito, an togatis licet rerum dominis tale privilegium concessum sit, de aliena pecunia statuam consecrare! praeterea Gortyniam *βουλὴν* quis concedit, posse „decuriones“ dici? non potest. nam non possunt nomina magistratus Romani ad Graecos transferri. conferas „buleutam“ Tomitanum (Wilm. 2408).[2]) — potius discendumst, quam prope accesserint paulatim conventus etiam in civitate Graeca ad municipalem formam usque adeo, ut ad municipalem rem publicam IIII (II) viri tantum deessent. decuriones conventus non cum decurionibus collegii (Liebenam p. 203) sed cum municipalibus conferendi sunt. — in insula C o. Paton-Hiks: The Inscriptions of Cos, p. 221: *ἐπὶ μο(νάρχου) Ἀντάνορος, ἱερέως δὲ αὐτοκράτορος Καίσαρος θεοῦ υἱο[ῦ] Σεβαστοῦ Νεικαγόρου τοῦ Δαλιοκλέους, μη(νὸς) Ἀ(ρ)τ(αμιτίου) δ. ἱ(σταμένου): τοὶ κατοικεῦντες ἐν τῷ δάμῳ τῶν Ἁλεντίων καὶ το[ὶ] ἐνεκτημένοι καὶ τοὶ γεωργεῦντε[ς] ἐν Ἁλέντι καὶ Πέλῃ τῶν τε πολειτᾶν καὶ Ῥωμαίων καὶ μετοίκων, ἐτεί-*

---

1) et flamonium (eph. ep. VII, 4 l. l.). 2) ordo Thasi(o)rum eph. ep. V n. 1435 et „senatus populusq. Tomitanorum“ (C. III p. 997 add.) me non refellunt, cum haec vocabula omnino ad Graeca quadrent; non autem „decuriones“, cum decuriae a Graeca urbe alienae sint.

Digitized by Google

μασαν κ. τ. λ. — tria genera: *κατοικοῦντες, ἐνεκτημένοι, γεωργοῦντες* fiunt prout habent homines vel: et civitatem et agrum (*κατοικοῦντες*) vel tantum agrum (*ἐνεκτημένοι*) vel tantum civitatem (agrum suum nullum sed conductum colonatus iure): *γεωργοῦντες*. his iuris condicionibus respondent hominum genera infra scripta ita, ut *κατοικοῦντες* esse possint solum *οἱ πολῖται, ἐνεκτημένοι* et *οἱ μέτοικοι* et *οἱ Ῥωμαῖοι, γεωργοῦντες* omnes tres classes. fiunt igitur VI genera.[1])

de verbis quibus incolatus, hospitium, advenarum status, exprimitur, tempus est omnia conferre exempla. quod cum meum non sit, tamen pauca adnotabo. — atque primum tenendum non, ut in imperii R. orbe vocabulis incolae, hospitis, advenae (adventoris) eundem semper statum exprimi Graecis verbis eisdem, cum Graecarum civitatum suum quaeque usum dicendi si non habuit, certe habere potuit, municipia contra Romana ex una norma pendeant. — atque incolatus quibus verbis significari potuerit, iam e solis titulis in quibus cives R. consistentes nominantur, intellegitur (v. infra) — ab incolis seiunguntur ii qui non domicilium habent, vel hospitio vel ne hoc quidem utentes. advenae in Graeco iure non distinguuntur[2]). nec minus, cum hospitium ab incolatu nisi tempore non differat, incolae ab hospitibus non semper secernuntur, quod perspicitur ex. g. e plebis scito Atheniensi (Sylloge n. 95) in quo cavetur privilegio, ne ab hospitibus *μετοίκιον* postuletur. item a IConsultis Romanis dubitabatur, an non hospites incolarum numero esse putandi sint (Dig. L, 6 § 2). — elucet vocabula eadem potuisse incolatum et hospitium significare, ita ut in singulis titulis inquirendum sit, quae sit ratio verborum. unum exemplum addo: cives R. in Megareo lapide *παρεπιδημοῦντες* dicuntur etsi incolae sunt. scilicet *παρεπιδ.* quod solet hospitem ab incola (*κατοικεῖν*) distinguere, in hoc titulo incolatum exprimit!

---

1) hanc interpretationem Wilamowitzio debeo. ipse quae temptaveram minus placent. 2) advenae Sidonii mercatores dicuntur *ἐπιδημεῖν κατ' ἐμπορίαν* (Sylloge n. 93, lin. 32, p. 163). quod verbum proprie seu incolas seu hospites significat. advenae *καταπλέοντες* rite dicuntur.

Digitized by Google

VITA.

Ern. Adolfus Schulten natus sum die XXVII m. Maii h. s. anno LXX in oppido provinciae Rhenanae Elberfeld patre Fr. Guilelmo matre Amanda (e gente Clarenbach). parentibus superstitibus gaudeo. gymnasii Elberfeldensis testimonium maturitatis nactus, annum duodevicesimum nondum emensus, primum per semestria aestivum et hibernum anni LXXXVIII Gottingae studia inchoavi, dein, cum per aestatem insequentis anni Bonnae fuerim, Gottingam redii, quam egregiam Musarum sedem quo diutius incolerem eo magis adamavi et una cum studiis academicis demum relicturus sum.

scholas audivi Gottingae apud viros doctos: Baumann, Bechtel, Kluckhohn, Leo, Regelsberger, Sauppe, Volquardsen, Weiland, Wieseler, de Wilamowitz-Moellendorff; Bonnae: Buecheler, Neuhäuser, Nissen, Usener. — exercitationibus interfui Gottingae: proseminarii philologi sub v. d. de Wilamowitz. seminarii phil., sodalis ordinarius, per tria semestria sub v. d. Leo, Sauppe, de Wilamowitz; philologicis praeterea v. d. Bechtel, Leo; historicis v. d. Kluckhohn, Volquardsen, Weiland; Bonnae proseminarii phil. interfui sub v. d. Luebbert; historicis v. d. Nissen. — ad studia recte instituenda imprimis adiutores mihi fuerunt Leo, Volquardsen, de Wilamowitz. imprimis Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, qui me, quoties ab eo consilium petii, summa cum benevolentia iuvit, maximam gratiam habebo. eiusdem polyhistoria quae ad librum de conventibus, cuius haec dissertatio particula est, attulerit, lector libri videbit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google